



Specimen litterarium inaugurale de principiis eloquentiae e sententia Platonis

<https://hdl.handle.net/1874/296933>

I.

12

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

DE

PRINCIPIIS ELOQUENTIAE
E SENTENTIA PLATONIS

ST. PAUL'S CHURCH, LONDON

TRINITY COLLEGE, HARTFORD, CONNECTICUT
A BENTLEY SEATON

TO THE HONORABLE SENATE OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

IN CONNECTION WITH THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

OF THE STATE OF CALIFORNIA

AND THE HONORABLE SENATE OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

IN CONNECTION WITH THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

OF THE STATE OF CALIFORNIA

IN CONNECTION WITH THE

COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

OF THE STATE OF CALIFORNIA

1881

PRINTED BY THE UNIVERSITY PRESS

OF CALIFORNIA, BERKELEY

1881

12

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE
DE
PRINCIPIIS ELOQUENTIAE
E SENTENTIA PLATONIS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GOZEWINI IANI LONCQ, C. I. FIL.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ARNOLDUS HENRICUS DE HARTOG,

E PAGO VALBURG.

D. II DECEMBRIS A. MDCCCLXII. HORA III.



TRAJECTI AD RIENUM;


A. VAN DORSTEN, JR.

MDCCCLXII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

G. DE HARTOG ET H. SPEIJERS

GRATUS FILIUS.



AMICO J. J. VAN GEUNS

S. P. D.

A. H. DE HARTOG.

Quid me moverit, ut dissertationem scriberem de argumento, quod hujus libelli titulus prae se fert, jam statim lubet ingenue tibi aperire, qui prae multis carus mihi existitisti sodalis. Bene nosti, quanti jam dudum tuam aestimem amicitiam, quantumque apud me valeat tuum iudicium, cuius sanitatem atque ἀριβέλαν saepissime expertus sum. Eo lubentius autem nunc quaedam ad te scribere institui, quia ipse adhuc in tuo conscribendo speciminae academico occupatus es.

Tu sane continuo me intelligis, si ingenue tibi fatear me multis modis fluctuasse in eligendo argumento, quod specimini materiam praeberet. Primum quidem valde mihi arridebat disquisitio de musicis instrumentis apud Graecos; argumentum vero pluribus egebat monumentis et auxiliis quam quidem mihi concessa erant; ut brevi intelligerem huic materiae meas non sufficere vires. - Ecce alia materia, quae mihi primo obtutu valde placebat

et in qua elaboranda quodammodo etiam consuluissem studiis meis theologicis: colligere mihi proposui quae in scriptis Clementis Alexandrini exstarent ad illustranda nonnulla Platonicae philosophiae capita. Sed materiae magnitudinem concesso mihi temporis spatio metiens, et hanc mittere coactus sum. Deinde animum adverte ad argumentum, quod sane jucunditate aequae atque utilitate valde se commendabat; per aliquod hebdomades occupatus fui in perlegendis comicorum graecorum fragmentis, ut inde efficerem, quomodo a comicis Graecis philosophia in scena exagitata sit. Sed, eheu me fluctuantem! etiam hic animadverti, gravissimum argumentum, ut recte tractaretur, nequaquam eo temporis spatio absolvi posse, intra quod necessario absolvendum mihi erat.

Mox vero reverti ad Platonem, certo sperans fore ut philosophia ejus tam late patens suppeditaret scribendi materiam quae omni ex parte mihi arrideret. Ita evenit.

In Platone legendo saepius animadverteram sententias de vera eloquentia et de arte oratoria, imprimis in Phaedro, Gorgia aliisque ejus libris passim dispersas. Quid, si hasce colligerem et in ordinem quendam redigerem? Quid, si scriberem de principiis eloquentiae e mente Platonis? Placuit argumentum, incepti et ad finem qualicumque modo perduxi in libello hocce. Rationem et viam, qua materiam tractandam susceperim, indea breviter indicabit.

Rogo te, amice, ne nimis severe hoc opusculum judices! Permulta certe insunt, quae diutius a me perpensa melius exposita forent, multa, quae clarius perspecta, ordine lucidiore disposita essent; probe scio, quantum et subtilioris

doctrinae et cultioris sermonis descriptioni meae desit. Attamen ubi tempus urgebat, num talia mihi magnopere vitio danda sunt? Praeterea, ne multis te morer, benevolum te scio lectorem. — Equidem me aliquem fructum percepisse confido ex opera, quam huic opusculo impendi, propterea etiam, quod tam arcte cohaeret cum munere sacro quod mox auspicaturus sum. Quid opus est tibi dicam, de quo saepius collocuti sumus, me in studiis litterariis praecipue animum attendisse ad vinculum, quod est inter litteras humaniores atque theologiam, cujus disciplinae gravissima capita eo plenius et clarius explicari posse mihi videntur, quo magis quis litteris eruditus sit. Nunc autem tractanda hac quaestione nonne aliquantum consuluisse tibi videor studiis homileticis, quae principem sane tenent locum in theologia practica? Ego certe clarius nunc judicare mihi videor de sana eloquentia quam quidem antea; rhetorica non amplius „terra incognita” mihi est. Quod si forte fiat, ut aliis etiam aliquantulum prosim labore meo, pulchrius sane quid mihi eveniet quam ipse sperare ausim.

Plura de dissertatione tibi dicenda non habeo. De vita autem academica, ad cuius calcem jam perveni, non est quod multa tibi scribam, cui satis cognita sunt quaecumque in hoc curriculo vel laeta vel tristia mihi acciderunt. Atque noti sunt tibi praeceptores, quorum institutione hic uti mihi licuit, sive in litteris et philosophia sive in theologia. Probe scis me frequentasse lectiones solidioris doctrinae plenas viri clar. KARSTEN. Hic promotor meus aestumatissimus, cujus domus quotidie mihi patuit, quum ad dissertationem conscribendam me accinxi, qua est comitate, non tantum consiliis dandis, sed

etiam libris suppeditandis, auxilio mihi fuit. Neque ignoras, amicissime commilito, quam multum debeam egregiis lectionibus eximisque praeceptis viri clar. ROVERS, nec quantopere equidem tum hos viros venerer, tum etiam virum clar. OPZOOMER, qui cum discendi amorem in me aluit, tum studium veri, pulchri ac boni in me corroboravit. Quod vero haud mihi contigit, secus atque optaveram, ut utilissimas frequentarem lectiones virorum clarissimorum MILLIES et BRILL, causa fuit ipse studiorum meorum cursus.

Ex theologiae professoribus, quorum e numero nuper vir clar. VINKE morte ereptus est, gratias maximas debeo viris clarissimis et plurimum venerandis BOUMAN et TER HAAE, non minus pro fructibus, quos ex eorum institutione percepi, quam pro humanitate, qua uterque eorum me excepit.

Denique, quae a singulis praeceptoribus accepi, sunt ea ejusmodi, ut haud sciam an juveni meliora contingere possint. Gratum iis animum praestare semper sanctum mihi erit officium!

Tu, dilectissime VAN CEUNS, pergas amicitia tua me ornare: idem semper mihi maneat, qui fuisti, quum Trajecti ad Rhenum pulcherrimo amicitiae vinculo conjuncti eramus; ego ex intimo pectore te eadem colam amicitia et fide. Quaecumque tibi accidant, seu laeta sint sive adversa, amicum tu me habebis semper tibi addictum. Utinam et tibi et ceteris commilitonibus, quibuscum in hac alma Musarum sede dulces annos peregi, omnia in posterum fausta eveniant! Vale, vir conjunctissime; ego tui ceterorumque sodalium per totam vitam memor ero!

Trajecti ad Rhenum, d. XXVII m. Novembris, MDCCCLXII.

CONSPECTUS.



PARS PRIMA.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE.



- Cap. I. De principiis eloquentiae
universe spectatis 1
- Cap. II. De vero, pulchro ac bono. 7
- Cap. III. De sancto et divino 31



PARS SECUNDA.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE APPLICATIS

AD ORATOREM.



- Cap. I. De iis, quae in oratore re-
quiruntur secundum prin-
cipia eloquentiae 34
- Cap. II. De natura, doctrina, exer-
citatione 37
- Cap. III. Orator vir bonus dicendi
peritus 51



—

PARS TERTIA.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE RELATIS
AD ARTEM RHETORICAM.



Cap. I. De initiis et progressibus rhetoricae apud veteres . . .	55
Cap. II. De ratione, qua haec disci- plina tractata sit a recen- tioribus	70
Cap. III. De usu rhetoricae, nec non de vera ejus methodo	73



PARS PRIMA.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE UNIVERSE SPECTATIS

Tendat homo ad virtutem, ut summo, quod ipsi propositum sit, officio fungatur, eoque fungendo perveniat aliquando ad beatitudinem, summum bonum. Virtus enim sola est quae viam sternit ad beatitudinis sedem. Gravissimi hujus moniti ut conscius fiat homo, necesse est mentem intendat in aureum hoc praeceptum: *γνώθι σεαυτόν*: noscat semetipsum et probe sciat in ipso inesse facultatem adsequendi verum, pulchrum et bonum, quorum complexus quid aliud est quam ipsa virtus?

Jam veteres hanc esse animi naturam quodammodo perspexerunt, iidemque agnoverunt quam obtusae et debilitatae sint hae animi facultates, quo fiat, ut raro quaerant et sequantur summum illud et extremum quo tendere debent. Prae ceteris memoratu dignus Platonis Socrates, qui secundum Cicero-
nem philosophiam devocavit de coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere 1). Comparat ille alicubi animum humanum cum Glaucō marino, cujus membra partim fracta sunt, partim contrita et corrupta sordibus quae ei adhaerent, conchyliis, alga, lapillis, ut potius ferae speciem prae se ferat quam germanam pristinae naturae imaginem: ita animus humanus inquinatus est *ἐνὸς μνησίων κακῶν*. Quodsi Glaucus ille in pristinam conditionem restitui posset, quam pulchram sui imaginem conspiciendam praeberet! 2) Conemur ergo animum nostrum emendare, purgare ab omni contagio, omnibus sordibus, ope verae philosophiae: hac *καθάρασι*, ut cum Socrate loquar, probe

1) Tusc. quaest. 5. 4; eff. Tusc. quaest. 3. 4, Acad. 1. 4, Apol. Socrat. p. 28 E.

2) Plato de Rep. X, 10. p. 611.

peracta, cognoscere liceret intaminatam animi naturam; tum elucesceret ipsius sanitas, pulchritudo et integra forma ac figura (*ἁγία, κάλλος καὶ εὐεξία*), in quibus virtus cernitur; tum demum ad verum, pulchrum, bonum, atque ita ad sanctum atque divinum escendere posset.

Docet nos anthropologia, in animo humano tria haec distinguenda esse: facultatem intelligendi, facultatem sentiendi et facultatem appetendi; quarum prima nos ducit ad verum, altera, ratione moderante, ad pulchrum, tertia, nixa prioribus, ad bonum. Sic homo evehitur ad id in quo est quasi complexus veri, pulchri et boni, ad sanctum et divinum. Haec si probe perspicimus, et simul omnem operam intendimus, ut hisce facultatibus, divinitus nobis inditis recte utamur, tum sane sordes istae animo adpersae paullatim evanescent, tum virtutem amplectemur atque via ad beatitudinem aperta nobis erit.

Jam vero, si hoc est extremum et summum quo tendere omnes oporteat homines, idem cuivis populo, idem universo propositum esse debet generi humano, ut ingrediatur viam, cujus tanquam ultimus finis beatitudo divinitus nobis est proposita. Nonnulli jam veterum aliqua-
tenus eandem tenuerunt sententiam, quam

clara in luce posuit religio christiana, ostendendo quid sit propositum tanquam summum bonum tam singulis hominibus quam universo generi humano. Haec religio, quae jure *ἡ ἀληθεία* vocatur, quia aperuit viam ad vitam vere vitalem, est religio gentium recentiorum, ejusque conditor, qui vere de se praedicavit: *ἐγὼ εἰμι ἡ ὁδὸς, ἡ ἀληθεία καὶ ὁ βίος*, nullam reliquit dubitationem de gravissima quaestione, tam singulis hominibus quam omni generi humano proposita, quid sequendum, quid faciendum sit? Non in obscuro latet responsum. Investigemus veritatem et confirmemus eam in societate humana; sequamur id quod vere est pulchrum vereque bonum, in omni vitae conditione, in omnibus actionibus!

Hic est scopus et finis educationis generis humani, quae varias habet partes et variis ex fontibus adjumenta haurit. Magna sane haec in re vis est vocis et orationis humanae, muneris illius generi humano divinitus dati, quo commune continetur animorum vinculum atque instrumentum, quo nosmet invicem tanquam fratres adjuvemus, erudiamus, doceamus. Quo clarius autem religio christiana ostendit, quid cuique propositum sit quo tendat, eo plenius intelligere oportet omnes, qui Christo nomen dederunt, quantam vim in hominum

societate habeat sermo ex imo pectore proficiscens.

Itaque, si tantis jam laudibus eloquentiam celebrarunt veteres, quibus pro parte tantum saluberrimam ejus vim agnoscere licuit, quanti pretii ipsam aestimare decet nos christianae veritatis luce illustratos? Quod si ita est, videretur omnino probabile, hac in parte nos ab illis nihil addiscere posse; contrarium vero obtinet. Oporteret sane nos plenius et rectius quam veteribus concessum fuit, illa perspicere; attamen res non ita se habet. Quare, quae nimis saepe negligimus vel obliviscimur, ea revocari nobis in mentem possunt ab ipsis illis veteribus, qui pro summo, quo ducebantur, veri amore, acriter rem perspiciebant, quae ipsis maximopere cordi erat, ut in illorum doctrina, tanquam in speculo, nosmet ipsos intueri liceat. Forsitan accidet ut subinde erubescamus, si cum illorum principiis nostram consuetudinem comparemus.

Veteres quum dico, prae ceteris intelligo Socratem, qui, ut Cicero ait, omnium eruditiorum testimonio, totiusque judicio Graeciae, quum prudentia tum vero eloquentia omnium fuit facile princeps 1). Hunc igitur ex anti-

1) Cic. de Orat. 3. 16.

quitate testem adhibebo, quum mihi proposuerim de eloquentia scribere et ostendere, principia quibus nitatur nulla alia esse posse nisi verum, pulchrum et bonum, sanctum atque divinum, si revera futura sit *ψυχαιγωγία τις*. Ordine igitur acturus sum: 1. de vero, 2. de pulchro, 3. de bono, 4. de sancto et divino. Conabor ita, pro meâ virium tenuitate, ostendere, quibusnam principiis eloquentia, quae quidem ubivis et omni tempore valeat, nitatur. Quodsi fiat ut labor meus proposito minus respondeat, consolabor me eo quod juveni quondam dixit Julius Florus: »ne quid melius dicere (adde: et scribere) velis quam potes." 1).

1) Quinctil. Instit. 10. 3, 3.

CAPUT II.

DE VERO, PULCHRO AC BONO.

§ 1. *De vero.*

Veritatem sequare in omnibus quae dicas! en primum eloquentiae officium. Mendacium et fallacia procul absint ab oratione; τὸ ψᾶδος ne pectus a vero abducat. Veritas anteponenda honori, gratiae, pecuniae; verum sequare prae omnibus! His dictis indicatur quid sibi velit illud, eloquentiam niti principio veri. Idem praecepit Socrates, qui amorem veri, velut scintillam, diu oppressam falsis opinionibus, excitavit adolescentum in animis, quum in arenam descenderet ut veri propugnator contra versutos oratores et sophistas, gloriantes se posse probare opposita et contraria iis quae modo defendissent.

Necesse igitur iis erat ut alterutro loco non vera, sed falsa tuerentur, vel potius, ut utraque vice φαντάσματα, ἀλλοῦν ὄντα perseque-
rentur. Existimabant isti, se fore eo πιθα-
νωτέρους, quo minus τὸ ἀληθές in quaque re
curarent. Sic eloquentiam censebant πειθοῦς
δημιουργόν τινα, qua tanquam reges vim et
auctoritatem apud populum, sibi compararent.
Σοφοῦς μὲν λέγειν ποιῶν ἠθέλησαν, οἳ ἂν δορυφοροῦν
αὐτοῖς ὡς βασιλεύσιν ἐθέλωσι 1).

In Platonis Gorgia, ubi Socrates suscipit
disceptandi partes deinceps cum Gorgia, Polo
et Callicle, tribus sophistis, qui magno erant
in honore apud populum Atheniensem, stre-
nuus ille veritatis vindex ostendit iis, vel
potius ratiocinando cos fateri cogit, nullam
exstare eloquentiam absque vera notione justi
et injusti, et in toto sermone vindicat auream
hanc sententiam: veritatem tuetur orator,
alioquin hoc nomine indignus est futurus.
Initio dialogi Gorgias gloriatur se esse bonum
oratorem; at Socrates: »nequaquam tales
estis nec tu, nec Polus, nec Callicles, neque
ceteri vestri similes, sed ostendam vobis,
quaenam vera sit eloquentia, quis vere elo-

1) Phaedr. p. 266 C; cf. de Rep. p. 490 D — 496 A, locus
pulcherrimus de sophistis.

quens." Continuo monet illos, ut quid verum sis attendant, utque animadvertant, si forte inter colloquendum ipsi aliquid excidat, quod sit minus vere dictum.

In colloquio cum Gorgia pulcherrimam hancce sententiam enuntiat: »ego sum in eorum numero, qui libenter redargui se patiantur, si quid dicant quod non sit vere dictum; libenter etiam redarguant, si quis quod non verum sit dicat; non minus autem libenter redarguantur quam redarguant"... »nullum autem censeo malum homini esse tantum, quantum iudicium falsum de quacunque re, praesertim vero de rebus magni momenti" 1).

In tractanda quaestione, quam turpe sit injuste uti potestate, sermonem interrumpit Polus conviciis: »nonne vel puer, inquit, te refellat, non vera te dicere probans?" Ad quae Socrates: »magnam inquit, puero gratiam habiturus essem, aequalem vero tibi, si me redargueris et a nugis dicendis liberaveris!" 2). Eidem sophistae mox testes citanti ex historia, ut sententiam a Socrate defensam refellat, hic respondet: »multos contra me falsos testes excitans conaris me dejicere de

1) Gorg. p. 458 A. B.

2) Gorg. p. 470 C.

eo quod per se verum est" 1). Ac paulo post: »τὸ ἀληθές nunquam refelli potest" 2). Polo coacto fateri, neminem fore qui mallet τὸ ἀδικεῖν quam τὸ ἀδικεῖσθαι, ille velut triumphans prae veri amore exclamat: »vera ergo sunt quae dixi!" 3).

Ita Socrates contradicentes sibi sophistas identidem velut de gradu dejicit, eosque cogit fateri suam sententiam unice valere, atque dictis identidem tanquam epilogum haec addit: »en, habetis documentum me vera loqui", tanquam si diceret: τῷ ἀληθεῖ νικῶ.

»Non decet, ita ipsum audimus praedicantem in Theaeteto, ψεύδος τε συγγωρῆσαι καὶ ἀληθές ἀφανίσαι" 4). Idem coram iudicibus causam dicens profitetur officium esse oratoris τὰληθῆ λέγειν 5). In Symposio autem, ubi in postrema dialogi parte de amore loquens inducitur, facete tangens eos, qui in laudando amore omnia pulchra et praeclara de eo praedicassent, »arbitrabar, inquit, in laudatione vera proferri oportere, atque ex his eligenda esse quae in rem,

1) Gorg. p. 472 B.

2) Gorg. p. 473 B.

3) Gorg. p. 475 E.

4) p. 151 C.

5) Apolog. p. 18 A.

quam laudare quis vellet, convenirent" 1). Verum quid plura testimonia afferre opus est? satis enim superque quasi Socratis ore vindicavi sententiam supra positam: τὸ ἀληθές primum esse debere eloquentiae principium atque fundamentum!

Videamus deinceps, quomodo Socrates eloquentiam suo tempore vigentem a sordibus ei adhacrentibus liberare et puram reddere conetur a falsis opinionibus quibus nitebatur atque ab inani specie quam venabatur pro vero; ut ita, illius ductu, ab hac etiam parte id quod primum est eloquentiae officium illustremus. Evolvamus denuo Gorgiam, et deinde audiamus quæ in Phaedro docet Socrates.

»Secundum vestram sententiam, dicit ad Gorgiam, non necessarium est oratori scire res ipsas, quomodo se habeant, sed artificium aliquod persuasionis (μηχανὴν τινα παιθοῦς) invenisse oportet, quo insciis videatur melius res scire quam periti sive ii qui τὸ ἀληθές cujusque rei norint" 2). Quae quum Gorgias approbavit, mox, ut suae sibi facultatis et dignitatis conscius, exclamat: »nonne praeclara tibi res videtur, Socrates, omnes tali modo vincere?"

1) p. 199 A.

2) Gorg. p. 459 C. D.

quibus ex verbis efficere licet, quam tristis eo tempore esset Athenis eloquentiae conditio. Ad haec Socrates ostendit, quam turpibus et futilibus principiis nitatur istiusmodi eloquentia, quae pro vero speciem venatur. Vocat eam gratiae et voluptatis conciliandae peritiam (*ἐμπειρίαν χάριτος τινος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας*), et Polo roganti, num pulchra ipsi videatur talis eloquentia, quae gratificari possit hominibus, jocosè Socrates respondet, similem eam sibi videri obsoniorum conficiendorum peritiac; utrumque efficere partem ejusdem instituti (*ἐπιτηδεύσεως*), quod propositum sibi habeat adulationem (*κολακείαν*) quamdam. Existimat illorum eloquentiam simulacrum esse partis cujusdam politices (*εἰδωλον πολιτικῆς μορίου*). Ut clarius ostendat, quid sibi velit, exemplo quodam utitur: fieri potest, inquit, ut aliquis sano corpore esse videatur, at revera non sit, quod a nemine dignoscatur nisi medicinae perito; hic probe novit, quinam cibi prosint aegrotanti, quinam noceant, quoniam unus hac in parte verum videt et vero tantum consulit. Sed artificium coquinarium subrepat in locum medicinae, destitutum hac in re cognitione veri, plane ignorans quinam cibi sint optimi, tantum sibi proponens adulationem quamdam. Jam vero eadem ratio

intercedit inter coquinariam et medicinam, atque inter eloquentiam vestram et germanam eloquentiam. Sophistarum eloquentia particula quaedam est *ἐπιτηδεύσις*, cujus propositum est adulatio aliqua: talem ergo eloquentiam jactantes nullius pretii esse videmini, quia obscurare vultis veri amorem, ipsi falsis nitentes principiis. 1)

Alibi Socrates objicit Gorgiae, quod ea quam profitetur eloquentia sit tantummodo persuasionis opifex, fidem, non scientiam efficientis (*πειθοῦς δημιουργός ἐστι πιστευτικῆς, ἀλλ'ὄν διδασκαλικῆς*); fides falsa esse potest, non vero scientia, quae solum vero nititur; oportere ergo eloquentiam unice vero niti 2).

Ita Socrates per totum librum se opponit sophistis, quorum eloquentia a falsis proficiscebatur opinionibus, neglecta veritate. Si quis optime posset ducere et fallere multitudinem specie quadam veritatis, hunc tamquam optimum oratorem honoribus, gloria et opibus cumulabant. Ita omnes audiendi cupidos imbuebant vanis falsisque opinionibus, obfuscabant in omnium mentibus amorem veri. Sic agendo aliter fieri non potuit quin

1) Gorg. p. 463, 464.

2) Gorg. p. 455 A.

graviter nocerent tam singulis, quam universo omnino populo. Tales erant sophistae, quos redarguere et ad meliorem sententiam adducere Socrates conabatur.

Ingressus est arenam tanquam athleta veritatis; ubique conatur ex intima animi sententia homines a falsis vanisque opinionibus liberare; omni ope, omnibus viribus nititur τῇ ἀληθείᾳ victoriam vindicare.

In Phaedro, postquam Socrates, Lysiae rhetoris exemplo, facetam orationem habuit, qua Amorem tanquam insanam cupiditatem vituperat, mox reprehendit se et palinodiam canit, ostendens in Ἐρωτα se contulisse ea, quae tantum in amorem πάνδημον convenient, omnium vero minime in amorem οὐράνιον, quem omnis boni, pulchri et veri auctorem et ducem praedicat. Postremo deum haec precatur: »Lysiam avoca ab istiusmodi scribendis orationibus (cujus generis exemplum initio dialogi propositum est) eumque ad philosophiam, ad quam Polemarchus ipsius frater se applicuit, converte, ne Phaedrus, ipsius amasius, amplius fluctuet, uti nunc, sed sincero animo se applicans ad amorem μετὰ φιλοσόφων λόγων τὸν βίον ποιῆται" 1).

1) Phaedr. p. 257 B.

Persuasum ei erat, si amor sapientiae, cui propositum est verum noscere, Lysiam Phaedrumque velut divino afflatu teneret, revera eloquentes eos evasuros, relictis declamationibus, quas commentis et fallaciis plenas ad hoc usque tempus habuissent. Sic enim existimabat Lysias, item ceteri sophistae: »haud necesse esse veram habere scientiam justarum rerum vel bonarum, vel etiam hominum ita *πιστοι η τροφη* comparatorum, ei qui cupiat idoneus orator existere; universe enim in judiciis non veritatem curare quemquam, sed probabilitatem (*ταῦτο δ' εἶναι τὸ εἰκός*). Itaque verisimilia dicenda esse tam in accusatione quam in defensione, et in omni causa sectandum esse verisimile, multum valere jubenti veritatem" 1). Socrates vero, »Noli, inquit, juvenis dilectissime, ita judicare; caveas ab istorum eloquentia, contra vero animum intendas ad dialecticam, quae quam efficax sit ad verum invenendum, ostendere tibi lubet." Ita Phaedrum hortatus dialecticam eum edocet. Flagrabat igitur Socrates veri amore, qui ipsum excitabat, ut tam vehementer oratores sui aevi vituperaret. Eandem ob causam reprehendit pictores et poetas, ipsum adeo Home-

1) Phaedr. p. 272 D, E.

rum, quippe qui τῆς ἀληθείας οὐκ ἀπτονται, atque adeo componant οὐκ ὄντα τῇ ἀληθείᾳ 1). Possem plures etiam locos citare, sed ii, quos attuli, sufficiant, ut intelligamus, quam acriter Socrates falsam oppugnavit eloquentiam.

Sophistis praecipue erat propositum, ut gloriam venarentur honoremque apud populum, ut potestatem obtinerent in civitate, ut divitias sibi compararent 2); haec ut adipiscerentur, infitari τὸ ἀληθές, si necesse esset, parati erant, veritatem pro nihilo ducebant. Hippias felicitatis fastigium attigisse sibi videbatur, quum in conventu Olympico ipsi orationem declamanti, at simul veritatem conculcanti, cuncta Graecia plauderet. Gorgias eo honoris venit, ut Delphis aurea statua ipsi poneretur, quam sane non meritus erat ob veri amorem. Iidem, alios docendo artem istam πειθοῦς δημιουργόν, fallaci nitentem splendore, mercede et opibus se locupletabant, ut nemo magis.

Illos vero reprehendens Socrates: «non ita, inquit, viri regii! — regii profecto, quia regia accipitis dona — non ita! ante omnia veritas; hac

1) De Rep. p. 599 A. — 600 E.; cf. de sophistis Symp. p. 198 D. — 199 B.

2) Cf. Phaedr. p. 258 B. C.

nixi etiamsi orationibus habendis populi favorem amittatis, etiamsi non amplius fluant divites illi fontes honorum et opum, imo vero etiamsi morte afficeremini propter veri amorem, veritas ante omnia! »Nonne turpe est, dicit alicubi, consilium dare nolle, nisi quis numeret pecuniam?» 1) De se ipso ita testatur coram iudicibus: »ubivis audire me licuit in sermonibus vera dicentem, etiamsi propterea mors mihi immineret» 2). Et quod summum ipsi erat, abstinebat a mendaciis, ne in deos peccaret, dum honorem apud homines sibi quaereret 3).

Plura afferri possent e Platonis scriptis, quae testantur, quam fortiter Socrates τὸ ἀληθές tutatus sit, vir ille, qui, etsi nostrae religionis succo et spiritu carebat, tamen tam magnifice de his rebus sentiebat, ut omnino non sine fructu ipsius praecepta ad nostram eloquentiam adhibere possimus.

Propugnavit sane praeclaram causam vindicando in eloquentia principium veri, quo illa plurimum conferre potest ad beatitudinem tam singulorum hominum quam totius generis

1) Gorg. p. 520 E.

2) Apolog. passim.

3) Phaedr. p. 242 D.

humani. Nos vero, qui luce gaudemus ejus religionis, quae jubet τὸ ἀληθές tueri, cogitando, agendo, eloquendo, laudes negare Socrati haud possumus, qui, quantum posset, veritatis regnum praeparavit et fallaces sophistarum rhetorumque argutias confutavit; qui denique persuasum sibi habebat, sanam eloquentiam non nisi e pectore proficisci veri amore imbuto. Haec reputantes nonne fateamur nobis Christianis omnino dedecori fore, si abjectius et humilius sentiremus quam priscae gentiles de eloquentiae proposito et fine? Imo sic potius existimandum nobis est, talem eloquentiam, quae non nitatur veri principio, recentioribus gentibus prorsus esse indignam neque posse constare nisi in detrimentum societatis humanae.

§ 2. *De pulchro.*

Omni aevo difficillima et gravissima habita est quaestio, quae saepe agitata est, quid sit pulchrum? Sapientes studiose operam dederunt ut justam pulchri definitionem invenirent. In hac autem quaestione animadvertimus agi plerumque de pulchro quod sensibus percipitur, atque diversas doctorum definitiones

ad pulchrum sensibile referri. Est vero etiam aliud pulchrum, quod non patet sensibus, quod non invenitur in mundo adspectabili, pulchrum dico intelligibile et morale.

Duplex igitur pulchrum distinguimus, illud quod sensibus percipitur, vulgo aestheticum dictum, et praeclarius quoddam, quod animo et mente cernitur. Quum autem homines ita comparati simus, ut per sensus ad coelestia et divina escendamus et per mundum adspectabilem evchamur ad mundum intelligibilem 1), aliter fieri non potuit, quin vocabula, quibus utimur de rebus *νοητοῖς*, deriventur a mundo *όρατῶ*.

Licet nequaquam negemus pulchrum aestheticum multis partibus affine et cognatum esse alteri illi quod est celsioris naturae, jure tamen statuendum videtur, aestheticam disciplinam versari in mundo *αισθητῶ*.

Non est hujus loci et multum meas excederet vires, inquirere in diversas pulchri definitiones; sufficiat mihi exponere quae de pulchro disseruit ille, cujus actas protulit perfecta pulchri exemplaria, quae

1) Cf. Sympos, p. 210—212 B.

posteriores aetates nunquam superarunt, forsitan ne aequipararunt quidem.

Secundum Platonem igitur pulchrum efficitur *μετρίωτητι* quadam et *συμμετρίω* 1), est *τελείον τι* 2) atque unice vero nititur 3). Quae si pulchrum efficiant in mundo sensibili, cadunt etiam in pulchrum morale. Ita Socratem audimus in Protagora dicentem de pulchritudine in animo humano: „*πᾶς ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δείται*” 4). In Theaeteto idem nobis proponitur artis *μαιευτικῆς* ope animum pulchrum efficiens et tanquam harmoniam atque *συμφωνίαν* 5) in eo restituens. Ita Socratem videmus iisdem fere verbis pulchrum morale definientem, quibus pulchrum *αἰσθητόν* describit.

Duplicis illa distinctio pulchri, ejus quod corporis oculis cernitur, et ejus quod cernitur oculo mentis, amplam praebet cogitandi materiem. Quomodo fieri posset ut homo, qui eo maxime praestat bestiis, ut non ad terrena

1) Phileb. p. 64, E.

2) Timaeus, p. 30, C.

3) Phileb. p. 28—30.

4) p. 326, B.

5) Artes, secundum Platonem, hoc sibi propositum habeant, ut efficiant animi *εὐρυθμίαν καὶ ἁρμονίαν καὶ εὐσχημοσύνην καὶ συμμετρίαν* (Cf. de Rep. lib. 3.)

tantum natus sit, unice animum adverteret ad pulchrum sensibile? Imo, quum velut incola sit utriusque mundi, νοητοῦ et αἰσθητοῦ, nihil in terris pulchrum aestimare potest, nisi quod non pugnet pulchro coelesti, quod congruat cum virtute. Maximo igitur jure affirmare nobis licet, Socratem, quum τὸ καλὸν definit εὐρυθμίαν et ἑναρμοσίαν, egregie virtutis notionem expressisse 1). Quid enim aliud est artis-simus ille connexus inter quattuor illas virtutes cardinales, σοφίαν, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην, nisi ἁρμονία interna, nisi εὐρυθμία τοῦ βίου in animo humano, quo nihil sane pulchrius ars humana efficere possit?

Quum ergo primum eloquentiae principium sit τὸ ἀληθές, alterum non minus oratori necessarium habendum est τὸ καλόν, et quidem duplex: alterum positum in orationis forma, alterum in rebus et cogitatis. Sophistae et oratores sophistarum similes non curabant formam vere pulchram; conabantur tantum flosculis passim sparsis orationem adornare, verborum pompa et sententiarum ornatu aures delectare, summum denique et extremum, quod sectabantur, erant τὰ κομμάτια τῆς τέχνης. At illud quod vere

1) Cf. de Legg. p. 653, A.

pulchrum est, quod cernitur in simplicitate, perspicuitate, claro rerum et cogitationum ordine, interna denique orationis harmonia ac symmetria, hoc iis deerat.

Alia plane forma orationis utebatur Socrates. Evolvamus commentarios illius a Xenophonte scriptos, qui nobis incorruptam atque sinceram ipsius eloquentiae speciem praebent; statim nos advertit et capit simplicitas quaedam, sine fuce, sine ampullis, in qua nihil deest, nihil abundat, omnia lucido ordine procedunt justoque nexu cohaerent. Sed haec melius et plenius persentiri possunt ipsum Xenophontem legenti, quam ut pluribus hic verbis opus sit.

Quam acri Plato valeret sensu pulchri et quam ardenti ejus amore flagraret, testantur ipsius scripta, quibus quid pulchrius, quid omnibus numeris perfectius, quod attinet ad formam, excogitari potest 1)?

Jam vero illud pulchrum, quod a diis precatur Socrates, quum sedens ad ripas Ilissi Phaedro ostendit viam, quae ad veram eloquentiam ducit: ὦ φίλε Πάρι τε καὶ ἄλλοι

1) „Plato longe omnium, quicumque scripserunt aut locuti sunt, suavitate princeps.” Cic. Orat. 19. „Jovem adeo dicebant veteres philosophi, si graece loqueretur, sic loqui.” De Orat. I. 32.

ὅσοι τῆδε θεοί, δοίητέ μοι καλῶ γενέσθαι τάνδοθεν 1),
internum illud pulchrum primum sane
in eloquentia tenet locum. Πᾶς ὁ βίος τοῦ
ἀνθρώπου ἐρρυθμίας τε καὶ ἐναρμοστίας δέεται, ut
hac ratione homo χρήσιμος fiat εἰς τὸ λέγειν.

Hujus pulchri amor inflammaverat Socratem,
ut per sermones suos τόκον τοῦ ἀληθινοῦ καλοῦ
gigneret in adolescentum animis. Ejusdem
pulchri amore mentem imbuerat Platonis,
ut, quod Socrates lubentissime adspicere
optabat, pulchrum animum in corpore pul-
chro 2), id intueri liceat in Platonis scriptis:
quae pulcherrima specie et forma enuntiant
cogitata et sententias pulchro ex animo
quasi profluentes, adeo ut inter orationis
formam atque ipsas res et cogitata natu-
rale quoddam sit vinculum et necessitudo
artissima (*).

1) Phaedr. p. 279 B.

2) De Rep. p. 402. C.

(*) Ne quis miretur me justo brevius tractasse locum de
pulchro, tanquam principio eloquentiae e mente Platonis.
Nam quaecumque de pulchro docet, continentur noti-
onibus quas attuli, hic illic dispersis. Hippias major, in
quo dialogo ex industria de pulchro disputatur, non ipsius
Platonis sententiam de pulchro exponit, siquidem ibi id
agit, ut refellat falsas quorundam opiniones, quae vigeant
suo aevo, τὸ καλὸν nihil aliud esse nisi τὸ πρέπον, vel τὸ
χρησιμὸν, vel etiam τὸ ὀφειλμένον. Negando igitur in hoc

§ 3. De bono.

Duo jam statuimus eloquentiae principia. Haec tamen ei non sufficiunt. Uti enim veritas, quam homo mente perspexerit et tum demum animi studio et amore amplexus sit, (quo animi pulchritudo efficitur,) non sufficit ut vitam agat vere vitalem, sic etiam praeter duo illa eloquentiae principia tertium adhuc requiritur. Quemadmodum in homine accedat necesse est, ut veritatem in hominum societatem proferat et ad vitae actionem traducat, haud secus eloquentia tertium requirit principium, quod est τὸ ἀγαθόν.

Est autem τὸ ἀγαθόν nihil aliud nisi verum, quod quis, postquam illud plane perspexit et

dialogo quaestionem tractat: indicat quam difficilis sit disquisitio de pulchro, et quae pulchri definitiones secundum ipsius sententiam improbandae sint 1). Quodsi propositum mihi fuisset data opera inquirere in notionem pulchri, plura certe attulissem, atque diversa Platonis dicta in systema quoddam redigere conatus essem: opus difficile quod meas excederet vires! Nunc vero quum agerem de principiis eloquentiae, atque his adnumerarem τὸ καλόν, meum erat indicare quomodo Plato vindicaverit hoc principium eloquentiae, de quo plura quam equidem citavi apud ipsum non occurrunt. Haec ergo sufficere debent.

1) Cf. W. G. Tennemann, System der Platonischen Philosophie, Tom. 4 p. 266.

penitus amplexus est, in hominum vitam ac societatem transfert (*realisecert*). Tendit genus humanum ad meliorem conditionem pedetentim progrediendo ad finem divinitus ipsi destinatum. Hinc multiplices illi conatus, qui id sibi propositum habent, ut emendentur et provehantur omnia quae pertineant ad veram hominum ac generis humani salutem, ad illam beatitudinem quam capere possit.

Attendendum hic nobis est ad notionem τοῦ ἀγαθοῦ universam, quae complectitur omnia ea quibus hominum vita revera melior reddatur. Hinc intelligitur, quare id, quod bonum appellare solemus, variis appelletur vocabulis, pro diversa rerum conditione ad quas referatur. Est enim *iustum* nihil aliud nisi τὸ ἀγαθόν, quatenus id spectet ad ea quae hominibus et societati humanae consentanea sunt 1), complectiturque illud „suum cuique tribuere.” Bonum, si refertur ad vitae usum, *utile* dicitur. Idem, quum refertur ad internam hominis conditionem, efficit *honestum*. Si igitur aliquem audimus propugnatorem boni, angustiore sensu, hunc merito confidere

1) Cf. Gorg. p. 507 A. Tenemus vocabulum δίκαιον latiore etiam sensu occurrere apud Platonem, atque idem significare ac τὸ ἀγαθόν.

licet, si a parte ad totum traducatur, vindicem fore τοῦ ἀγαθοῦ, sensu latiore.

Jam vero non mirandum, e mente Soeratis et Platonis, non minus tertium hoc principium quam duo illa priora vindicari debere eloquentiae, si quidem haec eo spectet ut homines ad veram adducat humanitatem. Quodsi hoc sibi propositum habet, aliter fieri non potest, quin ipsa quoque principio boni nitatur. Qui enim eloquentia ad bonum adduceret, si ipsa mali quid cogitaret? Quî impelleret nos ad decorum, si ipsa turpitudine aliqua maculata esset? Num justî amorem excitaret, si ipsa niteretur injusto? Num impelleret ad utile, ad honestum, ipsa contrario gaudens? Profecto inanis foret ac mortua eloquentia quae proficisceretur e fonte lutulento et turbido. Quare penitus persuasum hoc nobis sit, eloquentiae principiis annumerandum esse τὸ ἀγαθόν.

Sed revertamur ad Socratem, qui probe sciebat se cum paucis tantum suorum civium, vel potius solum, τῇ ὡς ἀληθῶς ἠγορευῆ ἐπιχειρεῖν. In Gorgia rursus disserentem eum audiamus, quum tanquam propugnator boni in arenam descendit contra tres illos sophistas, qui maxima in admiratione erant apud populum Atheniensem.

In primo colloquio Gorgiam cogit fateri,

si quis eloquens esse cupiat, necesse esse ut noscat quid sit justum. Deinceps ita progreditur disputatio:

Socr. Tu si oratorem reddere aliquem velis, scire illum necesse est quae justa sint, quae injusta, sive prius sive postea id a te discentem. Gorg. Sane quidem. Socr. Quid autem? qui artem tignariam didicit, num faber tignarius est, an non? Gorg. Vero. Socr. Nonne item, qui musicen didicit, est musicus? Gorg. Ita. Socr. Et qui medicinam, medicus, eodemque modo cetera se habent, ut, quamcunque quis artem didicerit, talis futurus sit, qualem scientia aliquem efficiat (*ὁ μεμαθηκώς ἕκαστα τοιοῦτός ἐστιν, οἷον ἢ ἐπιστήμη ἕκαστον ἀπεργάζεται*;) Gorg. Certe quidem. Socr. Nonne hac ratione etiam is qui justa didicit, justus est? Gorg. Ita prorsus. Socr. Justus autem justa nimirum faciet. Gorg. Ita. Socr. Nonne necesse est propositum esse justo justa facere? Gorg. Manifestum id quidem. Socr. Nunquam igitur propositum erit justo injusta facere. Gorg. Ita necesse est. Socr. Ex hac igitur disputatione necesse est oratorem justum esse. Gorg. Ita. Socr. Nunquam ergo propositum erit oratori injusta facere. Gorg. Haud sane videtur¹⁾. — Neque multo post Socratem audimus

1) Gorg. p. 460, A—C.

haec dicentem: »Positum est a nobis, eloquentiam versari in disserendo de justo et injusto; quî ergo fieri posset ut eloquentia esset res injusta, quippe quae semper de justitia verba faciat”? 1)

Postquam Gorgiam refutavit Socrates, disceptandi partes suscipit Polus, at non meliore fortuna e certamine discedit quam alter. Ex ultima hujus disputationis parte nonnulla delibemus.

Socr. E praegressa disputatione, inquit, sequitur, ad defendendas injurias vel suas vel parentum vel amicorum vel liberorum vel patriae injusta facientium minime, o Pole, utilem esse nobis eloquentiam; imo potius contrarium quis arbitretur, oportere nempe quemvis accusare primum se ipsum, deinde etiam familiares ceterosque, quicumque injusti quid fecerit, neque occultare, sed in lucem proferre malefactum, ut poenas det atque ita salvus evadat; cogere etiam et ceteros et se ipsum, ut, deposito omni timore, se oculis clausis ac fortiter quasi medico tradat ad secandum et urendum, bonum solum ac pulchrum spectans, nullam vero rationem habens doloris, ut, si quid fecerit plagis dignum, ad verberandum se dedat, si vinculis,

1) Gorg. p. 460, E.

ad vincendum, si mulcta, ad solvendam hanc, si exsilio, ad exsulandum, si morte denique, ad moriendum, ipse primus accusator et sui ipsius et ceterorum familiarium, nec parcens iis, sed ad hoc utens eloquentia, ut patefactis maleficiis liberetur maximo malo, injustitia. Ita dicamus, Pole, annon? Pol. Absurda quidem, Socrates, mihi haec videntur, praegressis tamen haud dubie quadrant (quibus praegressis ipse Polus assensus erat). Socr. Itaque vel illa redarguenda sunt vel haec consequantur necesse est. Pol. Sane ita se habet 1).

In colloquio quod deinceps sequitur cum Callicle, eo tendit Socratis oratio, ut demonstret necesse esse eloquentiam in eo versari ut homines quam optimos reddat, cogitque Calliclem confiteri, eloquentiam tali nisam principio aequalibus suis deesse; horum enim eloquentiam comparari posse cum arte tibicinaria, citharistica, vel cum poësi dithyrambica, tragica, quae artes omnes non nisi voluptatem aliquam sectentur; atque talem fuisse eloquentiam Themistoclis, Cimonis, Miltiadis, Periclis, quorum per eloquentiam cives nunquam meliores facti sint.

1) Gorg. p. 480.

Hæc, quæ attuli, ad propositum meum sufficere arbitror. Unum addere lubet dictum e Phaedro, ubi Socratem audimus aperte sic prædicantem: τὸ γὰρ ἀγνοεῖν ἕναρ τε καὶ ὄναρ δικαίων τε καὶ ἀδίκων πέρι καὶ κακῶν καὶ ἀγαθῶν οὐκ ἐκφέγει τῇ ἀληθείᾳ μὴ οὐκ ἐπονειδιστον εἶναι 1), h. e. nullum revera majus est homini probum quam si, seu vigilans seu dormitans, justum et injustum, rectum et pravum præ incitia confundat.

Qui vero plene cognoscere cupiat Socratem τοῦ ἀγαθοῦ principium oratori vindicantem sua disserendi arte et cum ea qua pollebat ironia ac δεινότητι, evolvat Gorgiam, quo legendo, quam pectore conceperit boni notionem, confirmabit; legat Apologiam, quæ eximio nos docet exemplo, quantopere eloquentia, quæ nixa sit justitia, audientis animum permoveat; legat Menexenum, ubi exemplum proponitur popularis eloquentiæ (ut omittam multa alia apud Platonem,) quibus perlectis agnoscet, quam disertus in causa nostra testis sit Platonis Socrates.

1) 277 D; cf. etiam 278 A, B.

CAPUT III.

DE SANCTO ET DIVINO.



Quum τὸ ὁσιον appellemus id quod in rebus humanis ab omni vitio et pravitate remotum est, facile intelligitur notionē τοῦ ὁσίου contineri verum et pulchrum et bonum, una notione comprehensa, quemadmodum τὸ πνεῦμα 1) una et concreta notione continet ea quae sejuncta rationem, conscientiam, voluntatem moralem appellare solemus. Uti πνεῦμα vocamus quasi adytum animi, ita non minore jure τὸ ὁσιον tanquam trium illorum principiorum complexum statuere licet. Per sanctum evehimur ad divinum ejusque amore incendimur et exardescimus: quousque si pervenire alicui contingat, is summum attigerit etiam in eloquentia fastigium.

In Socrate nihil est quod magis elucet

1) Hoc est nostrum *gemoed*, qua significatione vocabulum πνεῦμα primum occurrit apud scriptores Christianos.

quam eximia reverentia τοῦ Θεοῦ, cum ardente studio animum evehendi ad ea quae divina sunt. Et tamen quam longe aberat ab ea rerum divinarum scientia, quam Christianae doctrinae lux sequentibus aetatibus ostendit? Quanto majorem ergo vim nostra haberet eloquentia, si, τοῦ Θεοῦ amore flagrantibus, ante omnia sectaremur divinum tanquam summum eloquentiae principium; tum certe illud in dicendo consequeremur, ut verba nostra velut viventia ac spirantia essent.

Hanc quidem perfectam eloquentiae speciem mente complecti Socrati non licuit; attamen si ad ipsa principia attendimus, quorum ille auctorem et magistrum se praebuit, ea hac etiam in parte prodesse aliquantum nobis poterunt. In memoriam revocemus, quae e. g. in Gorgia dicit, aliquando se venturum ad tribunal Dei, eamque ob causam malle se hac in vita injuria affici quam afferre injuriam aut agere vel dicere quidquam, quod non placeat Deo; — quae in Apologia tam fortiter loquitur, oculum animi intendens in ea, quae, secundum ipsius sententiam, diis placeant; — quod denique saepius precatur, ut in animo suo alatur τοῦ Θεοῦ amor, qui ipsum regat dicentem, agentem, mentemque ad sancta et divina evehat. Ita saepius Socrates.

Quibus si adjungimus ea quae Christianae religionis conditor divinitus nobis praecepit, illud assequi licebit, ut sancti et divini amore imbuti tali utamur dicendi genere, in quo honestatis lumen effulgeat ac splendore suo audientes ad virtutem, honestatem, sanctitatem alliciat et erudiat, eoque ad summum quod mortalibus destinatum est bonum, h. e. ad veram beatitudinem, adducat.



PARS SECUNDA.

DE PRINCIPIIS ELOQUENTIAE APPLICATIS
AD ORATOREM.

CAPUT I.

DE IIS QUAE IN ORATORE POSTULANTUR
SECUNDUM PRINCIPIA ELOQUENTIAE.

Jam deinceps principia eloquentiae, generatim exposita, referamus ad oratorem. Non mirandum sane, quum vera eloquentia hinc nitatur principiis, Cicronem dicere, nunquam se vidisse oratorem, in quo perfecta cerne- retur eloquentiae effigies, sed mente tantum ejus speciem efficere posse 1). Talem igitur

1) Vdd. de Orat. 1. 28, Brut. 49, 87, Orat. 5, 29. De paucitate eorum, qui revera oratores nuncupari possunt, cf. quae dicit J. H. van der Palm in orat. cui titulus: *Over de welsprekendheid van Cicero.*

oratorem quum exprimere sibi proposuerit in scriptis suis rhetoricis, illius iudicium in quaestione, quam mihi tractandam sumsi, magni sane pretii aestimandum erit, eoque magis, quoniam semet ipsum fingens et formans secundum doctrinae suae praecepta talis exstitit orator, qui omnes longe post se reliquerit, uno excepto fortasse Demosthenc. Jam vero, si alibi usquam, certe in libris ejus oratoriis e Platone tanquam ex sacro quodam augustoque fonte oratio manavit; hîc certe se ostendit *φιλοπλάτωνα*.

Socrates, una cum Phaedro sedens ad ripas Ilissi sub platano patulis diffusa ramis, docet eum tria requiri in oratore: *φύσιν, ἐπιστήμην, μελέτην*. Eandem sententiam non semel iisdem fere verbis enunciat Cicero. »Sit orator doctrina liberaliter institutus, imbutus usu, satis acri ingenio” 1). Alio loco de semetipso testatur: »nos in eloquentia versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus” 2). Quintilianus idem praecipit, quum scribit: »facultas orandi consummatur natura,

1) De Orat. 2. 39.

2) De Orat. 3. 20.

arte, exercitatione" 1); et alibi: »in oratione
praestat omnia, cui affuerint natura, doctrina,
studium".

Itaque de tribus his deinceps singulatim
agamus.

1) Instit. 3. 5, 1.

CAPUT II.

DE NATURA, DOCTRINA, EXERCITATIONE.

§ I.

De natura.

Si in oratore φύσις postulatur, eo indicatur, ut sit φιλόσοφος τῇ φύσει. Relegi saepius in dialogo Phaedro pulcherrimum illum μῦθον de pristina animi conditione, ac, quomodo animus quasi e coelesti regione in terrenam sedem delapsus, ὑπὸ τοῦ οὐρανόθεν ἔρωτος rursus evehatur ad verum, pulchrum et bonum. Poetica haec imago artissime mihi videtur cohaerere cum sequentibus Socratis praeceptis de arte rhetorica et de oratore. Si enim verum est, eloquentiam spectare verum, pulchrum et bonum atque ita ad sanctum tendere et divinum, ipsamque hisce principiis nixam esse,

inde vinculum, quod inter eam atque τὸν ἔρωτα οὐράνιον intercedit, manifesto patet.

Et profecto, quum Socrates φύσιν inesse velit in oratore, hujus φύσεως ille maxime particeps erit, qui studio ardet assequendi aliquando quod verum, pulchrum et bonum est; qui τοῦ ἔρωτος οὐράνιον afflatu incitatus tria illa appetat; cujus denique animus in agmine deorum πλεῖστα ἰδὼν φυτεύει εἰς γονὴν ἀνδρός γενησομένου φιλοσόφου ἢ φιλοκάλου ἢ μουσικοῦ τινος καὶ ἐρωτικοῦ 1).

Sacpius Socrates loquitur de indole illa philosopha, quae studio cognoscendi τὰ ὄντα nihil non quod cognitu dignum sit continuo arripiat et investiget; qua indole qui praediti sunt, horum animus similis est tabulae cera obductae profunda, levi, tenera, quae signa impressa clare distincteque recipit et diu servat (unde jocans κέαρ, cor s. *animum*, a κήρος, *cera*, denominatum facit); suntque illi primum dociles, tum memores, tum etiam acres, qui non confundant sensuum indicia sed vera a falsis acute discernant 2).

Haec est igitur philosophia τῇ φύσει insita, quae cernitur in iis qui sunt τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονες 3): qualia ingenia facile ac prompte

1) Phaedr. p. 248 D.

2) Theaet. p. 19 C, D.

3) De Rep. p. 475 D, E.

nullam non disciplinam degustare cupiunt et lubenter ad discendum accedunt nec satiari discendo possunt 1). Talem indolem animadvertibat Socrates in Isocrate: *φύσει γάρ, αἰτ, ἔνεστι τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρός διανοίᾳ* 2). Eandem Plutarchus tribuit Ciceroni: »fuit ille, ὡσπερ ὁ Πλάτων ἀξιῶ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάξασθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμιάζειν εἶδος» 3). Cui assentitur Erasmus: »multo maximam eloquentiae suae partem (Cicero) debuit naturae, quam nemo sibi dare potest» 4). Eandem *φύσιν* agnoscebat Cicero in Hortensio, in M. Pisone, in C. Licinio Calvo, aliisque oratoribus. Quintilianus in prooemio operis pulchram hancce enuntiat sententiam: ei, cui deerit ingenium, non magis haec scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris."

Ubi ergo talis indoles aberit, si cui deest ingenii acumen, quo ad veri cognitionem perveniat, si caret pulchri sensu, si non habet animum propensum ad honestatem, talem hominem si videmus, summo jure statuere licebit: hic nunquam vere eloquens evadere

1) De Rep. p. 475 C.

2) Phaedr. p. 279 B.

3) Vita Cicer.

4) Vid. ejus Dialogus qui inscribitur: Ciceronianus.

poterit. Hanc enim facultatem nemo adipisci potest, qui non natura ita formatus sit, ut a tenera inde aetate, antequam quid bonum, quid malum sit, discernere potest, sponte sua e rebus pulchris et bonis voluptatem, contra e turpibus et pravis dolorem capiat 1); qui non sit φίλος μνήμων, εύμαθής, μεγαλοπρεπής, εύχαις, φίλος τε καί ξυγγενής ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρείας, σωφροσύνης 2). Nec sane mirum nobis accidit, quando Socratem ita disserentem audimus, quam ille in oratore postulat φείω, hanc unice fere cerni in ea animi conditione qua ad optima quaeque aptus sit.

Ne tamen obliviscamur latius etiam patere eam quae in oratore requiritur φείω. Etenim non ei sufficiet tali natura et indole ad virtutem praeditum esse, nisi accedat ea ingenii facultas, quae necessaria est ut munere oratoris recte perfungi quis possit: dotes illas dico naturales, quae, ut ceteris artibus et operibus singulis, ita oratoriae quoque arti privatae ac propriae sunt.

Doctrina (ait Horatius) *vim promovet insitam* 3).
Nec minus recte ad Pisones scribit:

Ego nec studium sine divite vena

1) Cf. de Legg. p. 653 A.

2) De Rep. p. 487 A.

3) Carm. 3, 4. 33.

Nec rude, quid possit, video ingenium 1).

Φύσις excolenda est disciplina, ut praecipit Socrates. De hac igitur parte deinceps videamus.

§ 2.

De doctrina.

Scientia oratoris proprie duplex est, altera rerum, altera artis oratoriae, quarum hanc dialectica niti debere in Phaedro Socrates ostendit; de qua quidem in sequenti parte accuratius dicam. Quo majore autem rerum scientia praeditus erit orator et quo interius in doctrinarum adytum penetraverit, eo melius opere suo ac munere fungetur. Quodsi eo usque procedere liceret, ut jure de eo praedicari posset, quod scholastici gloriabantur, se quidquid scibile est scire, hac sane in parte perfectus orator esset. Id vero quum vires humanas superet, tamen, quacunque in causa orator rostrum conscendere velit, ne aggrediatur rem tractare ipsi incognitam, nisi in graves et justas prudentium incurrere velit vituperationes.

Quod de Socrate dicit Xenophon, eum

1) *Ars poet.* 409 sq.

arbitrari solitum illos, qui cognitam haberent rem, de qua dicturi essent, etiam aliis diserte explicare eam posse, qui vero ignorarent, falli ipsos et fallere audientes 1), aurea sane est sententia, nobis etiam nostrisque temporibus non negligenda; imo vero dictum hoc quasi criterium haberi potest quo dijudicemus, quis hac in parte sit vere orator, quis non sit.

Quum igitur »scribendi recte" (adde et dicendi), ut Horatiano dicto utar, »sapere sit principium et fons," inde sequitur oratorem, qui non probe norit rem, de qua verba facturus sit, vehementer peccare contra principium veri, quoniam destitutus scientia, res non tractabit e veritate, sed *δόξαν* tantum et speciem sectabitur.

Plato, qui Socratis vestigia secutus acerrime adversatus est sophistis probabilia tantum venantibus, propriam oratoris educandi et formandi methodum secutus est. In aditu Academiae, ut ferunt, hanc sententiam scripserat: »οὐδείς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω," quae verba egregie omnino exprimunt Platonis mentem et institutionem. Eloquentiae studiosus, qui ab illo discere cuperet, ante omnia geometriae disciplinam degustare debebat. Huic adjun-

1) Memorab. 4. 6.

genda erat arithmetica, grammatica, dialectica, tractandae secundum eam methodum, quae Platonis ex mente unice ad verum duceret 1).

Denique applicet se futurus orator ad artes liberales tanquam veram μουσικήν, ut ita εὐλογία καὶ εὐαρμοστία καὶ εὐσημοσύνη καὶ εὐρυθμία ἀκολουθῆ τῇ εὐηθείᾳ, h. e. τῇ ὡς ἀληθῶς εἶ τε καὶ καλῶς τὸ ἦθος κατεσκευασμένη διανοία 2), ut ita adducatur ad ideam pulchri.

Postremo, pertractatis *artibus* et *disciplinis*, oportet eum veluti coronam operi imponere *doctrinas*, ut ita orator probe eruditus fiat in iis, quae sibi tractanda sumturus sit. Praecepta eo spectantia cum passim dispersa sunt in Platonis operibus, tum data opera exponuntur in Republica, ubi Socratem inducit praecipientem Glauconi et Adimanto necesse esse, ut percurrat triadem hanc artium, disciplinarum et doctrinarum, si quis vere φιλόσοφος fieri velit et deinceps vere

1) Quinetilianus praecipit: „nisi grammatica oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid superstruxeris corruet.” Instit. Orat. 1. 4, 1. — „Geometria et musica necessariae sunt oratori futuro” eff. 1. 7, 8, 9. Locum etiam vindicat historiae: „Apud rhetorem (oratorem) initium institutionis sit historia, tanto robustior, quanto verior.” 2. 4, 1. Cicero: „Nemo in oratorum numero habendus, qui non sit omnibus artibus libero dignis perpolitus.” De Orat. 1. 16.

2) Cf. de Rep. p. 400 D.

eloquens, in quem conveniat illud »copiose dicere cum sapientia.»

Præ ceteris suae aetatis oratoribus longe excellit Pericles scientia; audiverat nimirum Anaxagoram, qui cum philosophiam edocuit. »Quum enim incidisset, ita Soerates in Phaedro, in Anaxagoram, virum celso ingenio praeditum, sublimium rerum studio et scientia instructus, et ad rectam rationem idque quod huic contrarium est perspiciendum adductus (*ἐπὶ γὰρ οὖν σοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικνούμενος*), quibus de rebus copiosius disputabat Anaxagoras, hinc ad *ἐντροχμήν* adhibuit quae huic convenirent" 1).

In eodem dialogo praecipiens Phaedro quae orator necessario scire debeat, ducit ipsum ad graviores dialecticae quaestiones. »Qui orator sit futurus, eum scire oportet, animus quot species habeat; haec autem sunt diversae numero et forma (*τόσα καὶ τόσα, καὶ τοῖα καὶ τοῖα*); unde hi tales, illi tales existunt; quum haec species ita distinctae sunt, orationum quoque tot sunt species et unicuique sua est forma. Jam tales homines tali oratione hanc ob causam ad hoc faciles sunt adductu (*εὐπειθεῖς*), tales vero hanc ob causam difficiles; oportet ergo illum, quum haec omnia mente teneat, deinde

1) Phaedr. p. 270 A.

eadem in vita rebus que agendis animadvertentem acuta perceptione posse assequi (*ὄξεως τῇ αἰσθήσει δύνασθαι ἐπακολουθεῖν*); alioquin nihil ei profutura sunt quae olim audiverat magistro usus. Quum vero probe poterit dicere, qualis homo quali oratione ad persuasionem adducatur, praesentemque aliquem adspiciens sibi ipse poterit monstrare talem esse talique natura praeditum, perfectus erit dicendi artifex" 1).

Haec atque alia, quibus describendis supercedeo, pulchre vereque de scientia, quae in oratore requiritur, enuntiat Socrates.

Jam audiamus Ciceronem, apud quem plura animadversa reperiuntur, quae probe teneamus oportet, veluti haec: »nemo disertus in eo, quod nesciat" 2); »quae sunt in hominum vita, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent (futuro oratori)" 3); apud homines nulla res (est), quae plura adjumenta doctrinae desideret" 4).

Lubet his testem addere recentioris aevi, qui, quaerens de institutione oratori necessaria,

1) Phaedr. p. 271 D — 272 B.

2) De Orat. 1. 14.

3) De Orat. 3. 14.

4) De Orat. 3. 22. Cff. de Orat. 1. 13, 1. 18, 2. 24, 2. 85, 2. 89, 3. 31, 3. 34, 3. 35. Brut. 6, 93. Orat. 3, 4, 21, 33, 34. Quintil. Institut. Orat. 1. 2; 5. 10, 1.

clare edocet, oratorem scientia destitutum nihil esse nisi *χαλκός ἢ ἄχθων ἢ κίμβαλον ἀλαλάζον*. Erasmus in dialogo, cui titulus: Ciceronianus, colloquentes inducit Boulephorum, Nosoponum et Hypologum. Disputandi partes praecipuas tribuit duobus prioribus, quum postremus *ὑπολόγῳ* tantum cujusdam vice fungatur. Nosoponus gloriatur se esse oratorem Ciceronianum: nulli scriptori locus est in bibliotheca sua, praeterquam uni Ciceroni; ubique habet imagines illius belle pictas; Ciceronem totum prope edidicit; omnes vuculas in ipsius libris exstantes digessit in lexicon, notavit formulas loquendi Ciceroni proprias, congegit pedes omnes, quibus Cicero utitur, commata, cola, cetera; exquisivit quotupliciter sensu occurrant compluria apud eum vocabula, annotatis pagina, latere, versu; operam intendit ad deflexa, derivata et composita; talibus instructus praesidiis jure se dici posse Ciceronianum existimat, tam in scribendo quam in dicendo. Lepidum sane ingenium! Plane alia illum docet Boulephorus, qui nullius vel certe exigui pretii putat opus illud laboriosum, quo aliquis orator vere Ciceronianus evadat. Statim incipit a scientia, quippe quae sola oratorem vere sic dictum efficere possit, atque in sermone suo pulcherrimam hanc enuntiat sententiam, quum de oratore sacro

loquitur: »Qui puri studio sese exercebit in cognitione philosophiae christianae, quo Cicero se exercuit in profana. Qui eo affectu imbibet psalmos et prophetas, quo ille hausit poetarum libros; qui tanta vigilantia studebit cognoscere apostolorum decreta, ecclesiae ritus, primordia, progressum ac deliquium reipublicae christianae, quanta ille laboravit urbis romanae, provinciarum, municipiorum et sociorum jura legesque perdiscere; tum qui quod his omnibus studiis comparatum est ad res praesentes accommodabit: is poterit aliquo jure Ciceroniani cognomen ambire!»

Audivimus nonnullos, quorum testimonia hac in causa maximi sunt ponderis, de necessitate τῆς ἐπιστήμης testantes; possem plures addere, sed quid opus est? Quod ex illorum sententia oratori imponitur onus, est sane magnum et grave, sed non nimium ei qui eo nititur ut aliquando escendat ad eloquentiae fastigium; is enim penitus persuasum sibi habebit, quanti pretii scientia existimanda sit futuro oratori, cui continget Horatianum illud:

Rem bene provisam verba non invita sequentur.

Ille ergo, qui vere eloquens fieri studet, fugiat inanem speciem, non effundat verba rebus sententiisque inania, tendat ad verita-

tem, cujus ad penetralia una ipsum adducet scientia; bene persuasum sibi habeat »neminem posse de ea re, quam non norit, non turpissime dicere" 1).

§ 3.

De exercitatione.

»Si ingenium tibi tribuit natura, orator praeclarus evades, si ingenio adjunxeris doctrinam et exercitationem; harum partium in aliqua si defeceris, mancus et imperfectus eris orator" 2). Ita Socrates. De natura et doctrina egimus; nunc agendum de exercitatione sive *μελετή*. Haec duplici sensu hoc loco ponitur: exercitatio nempe eorum, quae scientia acquisivimus, et exercitatio memoriae; etenim vocabulum *μελετᾶν* saepe significat exercitatione aliquid menti imprimere, quod idem notat atque memoriae mandare. Jure igitur, ut mihi videtur, vocabulum *μελετή* duplici illo sensu accipi potest.

Jam vero, quum Socrates saepius agat de *φροσὶ* illa et de scientia, aliquantum sane miremur eum nusquam data opera exquirere

1) De Orat. 2. 24.

2) Phaedr. p. 269 D.

ea quae ad exercitationem ac meditationem pertinent. Sed etiamsi silentio id praetermissum est, nonne necessario sequitur, si philosopha *quibus* sit quasi fundamentum quo nititur doctrinae aedificium, ut exercitatio¹ veluti coronam imponat operi, atque ita sit absolutum et omnibus numeris perfectum?

Nam etiamsi quis optima indole ad philosophiam praeditus sit omnique scientiae copia instructus, ingenium doctrinamque exercitatione corroboret necesse est, ut quae didicerit et cogitaverit in promptu habeat, cogitata lucido ordine disponat, aptis verbis eloquatur et velut clara forma ante oculos ponat; ceteroquin eloquens dici nequaquam merebitur. Licet omnes doctrinae fontes exhausisset, tamen quaesitae opes, nisi usu et exercitatione firmatae sint, effluerent et e memoria elaberentur; itaque semper ei opus foret litteras scriptas adhibere, quae essent veluti carmen et lex quaedam orandi. Quare nisi in promptu sint copiae illae quas doctrina peperit et ratio ordinavit, nequaquam nomen vere eloquentis tueri licebit. Quae didicimus et cognovimus, memoriae, tanquam thesauro cuidam eloquentiae 1),

1) Quinetil. Instit. Orat. 11. 2; cf. Cic. de Orat. 1. 5.

mandari oportere merito oratori praecipit Cicero 1).

Accedat oportet, ut exercitatione regulas amplectamur, quas praescribit ars oratoria, tum eas quae ad compositionem orationis, tum quae ad actionem et pronuntiationem pertinent. Haec enim facultas non nisi assidua exercitatione comparari potest. Cujus rei egregium nobis exemplum praebet Demosthenes, qui assidua exercitatione, natura reluctante potius quam adjuvante, ad principatum in eloquentia pervenit.

1) Cff. de meditatione et exercitatione quae dicit. Cic. de Orat. 2. 30, 2. 35, Brut. 60, 61, Quintil. Instit. Orat. 3. 5. 1.

CAPUT III.

ORATOR VIR BONUS DICENDI PERITUS.



Ergo posita sint tria haecce: *φύσις*, *ἐπιστήμη*, *μελέτη*: quorum quo magis quis compos fuerit, eo propius aberit ab illo eloquentiae fastigio, quo tendere oportet. Perdifficile sane opus; ut non mirandum quod Cicero de Romanis dicit: »volo enim sciri in tanta ac tam vetere republica (Romae), maximis praemiis eloquentiae propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos" 1). Attamen tria haec si quis propria sibi dicere posset, nondum sufficerent. Accedat oportet illud, quod recte veteres censuerunt primum et ultimum esse in oratore, ut hoc nomine revera mereatur: »sit orator vir bonus."

Qui enim fieri possit ut, quod quis non

1) Brut. 49; eff. Brut. 87, de Orat. 1. 28, Orat. 5, 29.

penitus animo sentiat, mente comprobet et in vitae actione sequatur, id cum aliis diserte communicet? Quomodo is, cujus facta testantur contra justitiam, idem laudator et vindex justitiae esse poterit? Num improbans de virtute verba facturum est pro rei dignitate? Num pulchrum bonumque vere laudare poterit ille, cujus pectus non flagret honesti amore? »Pectus est quod disertos facit.» Aurei hujus dicti veritatem historia et vitae usus satis probant, et sane, nescio quomodo, gaudio afficimur legentes apud Ciceronem: »Jam antiquitus iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut apud Homerum Phoenix, qui a Peleo patre Achilli juveni comes datus est ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum» 1).

Ergo jam tum existimabant, eum, qui aptus sit ad reddendum aliquem bonum civem, eundem posse etiam oratorem efficere; agnoscebant arctum esse vinculum inter facta verbaque. Socratis exemplum satis superque nobis ostendit, eum maxime eloquentiae vim qua valebat hausisse e virtute. Demosthenes non aliam ob causam tanta auctoritate in dicendo valuit, nisi quod ejus orationes quasi

1) De Orat. 3. 15.

impressae erant virtutis sigillo 1). Ejusdem sententiae auctor est Cicero tam in orationibus quam in operibus rhetoricis; neque aliter Quintilianus, cujus praeclara sunt haec praecepta: »Neque enim esse oratorem nisi bonum virum judico" 2). »Auctoritatem ante omnia mereri debemus vita" 3). »Non igitur unquam malus idem homo et perfectus orator" 4).

Si ad Christianos oratores animum convertere lubet, Chrysostomi, Augustini, Bernardi, atque, ut complures alios omittam, Lutheri eloquentia, etsi aetatis quo vixerunt maculis haud immunis fuit, nonne tamen maxime nitebatur ipsorum virtute? Quid? Paulus, heros ille τῆ πίστευ, nonne idem per πίστιν heros in eloquentia exstitit 5)? Quid autem dicam de

1) Vid. Theremin in libro: *Demosthenes und Massillon*. Cf. ejusdem scriptoris: *Die Beredsamkeit eine Tugend*.

2) Instit. Orat. 1. 2, 1.

3) Ibidem 4. 2, 6.

4) Ibidem 11. 1, 2; eff. 2. 21, 2; 2. 22, et praecipue libri 12 principium.

Vir bonus quid efficere dicendo possit, pulchre describit Virgilius Aen. 1. 55 sqq.

Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem

Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Ille regit dictis animos, et pectora mulcet. —

5) Ego quidem, quamquam et studium meum et docendi

ipso Christo? Sermo illius, non magis spiritu quam forma et colore inimitabilis, nonne illustri exemplo nobis ostendit, pectus omni labe purum et integrum maximam dignitatem atque vim conciliare orationi? Ipsius sermones, velut puro et limpido e fonte profluentes, divinitatis effigiem prae se ferunt; eloquentia ejus omnis nititur sancti et divini principiis; quo fit ut cum simplici illius oratione ceterorum, quotquot unquam locuti sunt, oratione comparari quidem possit.

Quodsi verba nostra forent veluti speculum animi puri et sinceri; si eloquentia nostra fulta esset vitae honestate; si omnibus in rebus maxime proposita nobis essent divina et sancta tam in cogitando quam in agendo, tum sane progredieremur ad ideam perfecti oratoris!

professio ita fert, ut verborum bonorum et ipse in dicendo studiosus sim, eorumque curam commendem et laudem et defendam: tamen me fateor..... malle Pauli illud ardens pro Dei gloria et veritate atque virtute pectus cet." J. A. Ernesti in orat.: *Pectus est quod disertus facit.*



PARS TERTIA.

DE PRINCIPIIS VERÆ ELOQUENTIAE
RELATIS AD ARTEM RHETORICAM.

CAPUT I.

DE INITIIS ET PROGRESSIBUS RHETORICAE
APUD VETERES.

Quum agebamus de scientia quae in oratore requiritur, duplicem eam statuimus: scientiam rerum et scientiam artis. Restat igitur ut de arte rhetorica nonnihil adjiciamus.

Antiquo jam tempore acuti homines inter Graecos ex usu regulas quasdam collegerunt, secundum quas oratio fingi posset et formari; quae regulae paullatim collectae et dispositae constituerunt illius disciplinae quasi corpus quoddam, quod ῥητορικὴ, ars oratoria, appel-

latur 1). Attendentes nempe, quam viam clari oratores ingrederentur, et animadvertentes, quem ad modum illi lucido cogitationum ordine, delectu verborum, apta divisione vim orationis auferent coque multum praestarent ceteris, quorum oratio nitore illo et lumine careret, animadversa notarunt et collegerunt, ut his instructi paratius ad dicendum accederent.

Itaque sicut alia quaevis theoria, ita rhetorica quoque exstitit paullatimque increvit et aucta est. Ars enim tum demum nascitur, quum ea, quae ratione, usu, experientia didicerimus, ad certam formam et methodum redigi coepta sunt. Nec subito, quasi uno impetu, et invenitur et perficitur; habet rudia et exigua initia, deflexus, errores; paullatim autem maturescit sensimque eo tendit ut consummetur et ad perfectam artis formam accedat.

Haud igitur miremur, si apud Platonem, qui plane intelligebat, quaenam sint verae principia eloquentiae, incunabula tantum atque primordia reperimus illius disciplinae, cui propositum est, ut viam monstret iis qui aliquando rostra adscendere cupiant.

1) Graeci vocabulo *ῥητορικὴ* duplici sensu utuntur, eloquentiae nempe et artis oratoriae. Deinceps vox *Rhetorica* posteriore tantum significatione usurpari solita est.

In sermone Socratis cum Phaedro, in quo huic praecipit, qua via et ratione aliquis vere orator evadere possit, quum hic cuperet discere, quae sit vera rhetorica, mirum nobis accidit ubi Socratem audimus graviora quaedam e dialecticis petita ei explicantem. Phaedrurus attentus ad ea quae audit ex homine, quem unum maxime veneratur, et exspectans mox etiam rhetorices praecepta se auditorum, spe frustratus tandem erumpit in haec verba: »Hanc quidem artem recte mihi videris appellare dialecticam, rhetorica vero mihi videtur adhuc nos fugere.» Cui Socrates ironice, ut solebat: »Quid dicis? pulchrum sane erit negotium, quod dialectices experts arte tamen percipiatur; non tamen prorsus est negligendum illud tibi et mihi; sed dicamus, quid tandem sit rhetorices illud quod reliquum est» 1). Deinceps enumerare incipit singularia quaedam complurium rhetorum inventa, *σιώπων ἀντά*, in reliquo autem sermone perpauca tantum e rhetorices memorat, rediens inter sermocinandum ad dialectica.

Caveamus vero, ne jocosum illud Socratis responsum nos decipiat! Indicat tantum sapientis

1) Phaedr. p. 266. C. D.

consilium, id efficere studentis, ut discipulus probe intelligat, ne primo loco attendat ad artificia sophistarum et rhetorum, quasi haec maxime necessaria sint ad eloquentiam; sed ut ante omnia discat recte cogitare, alioquin omnia dicendi artificia fallacia esse ac nullius pretii 1).

Hoc consilio examinat cum Phaedro orationem quandam Lysiae, qua hic demonstrare conabatur, feliciorum praedicandum esse cum qui non amore captus esset quam τὸν ἐρωτικόν, propter multa et magna damna quibus amor amantes afficiat; quae oratio, artificioso nitore splendens et flosculis ornata, carebat sana

1) Quomodo dialectica praeparet ad rhetoricam Socrates praesertim ostendit in Phaedr. p. 271 A. B. C.: „efficit ut probe animum cognoscamus, num ἐν καὶ ὁμοίον sit, an vero, κατὰ σώματος μορφήν πολυειδές. Deinde ostendit, quid cuique facere et quid a quoque pati natura possit (ὅτι τί ποιῆν ἢ παθεῖν ὑπὸ τοῦ πέφυκεν). Tertio, dispositis orationum et animi generibus eorumque affectionibus, persequitur omnes causas, suam cuique adjungens, atque docens, qualis animus qualibus orationibus quam ob causam necessario vel in persuasionem adducatur vel non adducatur” (Cf. porro 271 D—272 C. 273 D—274 B. 277 B. C.) — De necessitudine inter dialecticam et rhetoricam vid. Cic. Orat. 113: „Zeno, quum compresserat digitos pugnumque fecerat, dialecticam agebat ejusmodi esse; quum autem diduxerat et manum dilataverat, palmae illius similem esse dicebat eloquentiam (h. e. rhetoricam).”

ratione omnique arte dialectica. Ostendit igitur Socrates primum, deesse in oratione Lysiae definitionem rei, de qua agitur; deinde, neglexisse Lysiam, quod orator animadvertat oportet, id de quo disceptaturus est sitne ἀμφοβητήσιμον necne. Deinceps sic pergit: »Attende, o Phaedre, ad hanc orationem et vide, quomodo Lysias non ab initio exorsus, sed a calce argumentum quasi retrorsum transnare conetur, atque exordiat ab iis quae in fine demum orationis amator amato dicturus erat. Praeterea, nonne temere disiectae tibi videntur ceterae orationis partes? Nonne oportet quamque orationem ita compositam esse uti ζῶον, suo quasi corpore et figura praeditum, ut nec capite careat nec pedibus, atque media et extrema habeat inter se et cum toto convenientia apteque descripta?" 1) Denique, oratio Lysiae comparari potest cum epitaphio Midae Phrygis:

1) Cui haecce legenti non in mentem venit locus Horatii in Epist. ad Pisones princ.

Humano capiti cervicem pictor equinam

Jungere si velit, et varias inducere plumas,

Undique collatis membris, ut turpiter atrium

Desinat in piscem mulier formosa superne etc.

Cf. etiam Aristot. Poet. 8, § 3, Dionys. Halicarn. Art. rhet. 10, § 6, Quinctil. Instit. Orat. 7. praef. § 2.

Aenea sum virgo atque Midae incumbo monumento,
 Dum manatque latex arborque umbrosa virescit,
 Aeternum hîc adstans lacrymosi in mole sepulcri,
 Nuncio practereunti hîc esse Midam tumulatum.

In quo epigrammate nihil interest, utrum primo an ultimo loco versus aliquis ponatur. Jam conferatur cum illa ipsius Socratis oratio. Hic primum definit, quid sit amor, quem ostendit esse *μανίας* quandam; deinde distinguit duo genera *μανίας*, quorum alterum denuo dividitur in quatuor species, et ita porro progreditur, ut animadvertere liceat, quomodo in oratione sua separando et jungendo, i. e. dialectica via, rem declaret 1). Ex hoc exemplo optime discere Phaedrus poterat, primum esse rhetorices praeceptum, ut perspicuae sint sententiae, lucido ordine et nexu inter se junctae. Brevius et clarius id explicare Socrates non poterat, cui nequaquam erat propositum brevi sermone disciplinam comprehendere, cujus perfectum elaboratumque systema non nisi multorum seculorum opera perfici poterat. Inde probe intelligere possumus, cur apud Platonem inveniamus principia tantum verae

1) Phaedr. p. 263--266 C.

eloquentiae et sanae rhetorices, quas veritate niti in Phaedro, pulchro autem et bono in Gorgia docet Socrates; simul autem intelligimus, cur praecepta rhetorices, quae ibi traduntur, maxima pro parte characterem habeant negativum. Nimirum necesse erat ut rhetorum et sophistarum officinae velut Augiae stabulum sordibus et fallaciis purgarentur, quibus erant oppletae, utque claris ostenderetur argumentis, quomodo verborum et figurarum illi magistri superficiem tantum rei tangerent, non vero ad nucleum penetrarent. De hoc etiam breviter videamus.

Non immerito sophistae per omne aevum in multorum incurrerunt reprehensionem; ne tamen obliviscamur, quod ad theoriam eloquentiae attinet, illos viam aperuisse ad hanc disciplinam, neve laudem iis eripiamus, quod primi fuere qui rhetoricam artem componere aggressi sunt; ita tamen, ut conatus eorum laudemus, non ea quae his conatibus effecerunt; laudemus studium rhetorices ab illis excitatum, non vero ipsam artem quam exerceverunt. Nam quid mirum, quod hi false iudicantes de eloquentia, quam superstruebant τῷ εἰκότι, falsa artis praecepta promulgarint, magis τὰ δοκοῦντα quam τὰ ὄντα sectantes? quid mirum, quod unice τὰ κομψὰ τῆς τέχνης tractarint,

h. e. ea quae non continent ipsam τὴν τέχνην, sed potius τὰ πρὸ τῆς τέχνης 1)?

Rhetorices primordia reperimus in Sicilia, ubi Empedocles primus fuit, qui hanc artem commovit 2). Illum secuti sunt Corax et Tisias, quorum hunc τὴν τέχνην superstruxisse τῷ εἰκότι Socrates testatur 3). Tisiae discipulus Gorgias rhetorices studium transtulit in Graeciam, magistri vestigia secutus 4). Graecia, maxime Athenae, sedes libertatis eademque, dum libertate usa est, nutrix eloquentiae (ubi enim libertas viget, ibi felicissime floret eloquentia 5), per illud temporis spatium, quo ad gloriae fastigium pervenit, h. e. a pugna apud Marathonem usque ad Alexandrum magnum, plurimos habuit eloquentiae cultores, qui vel dicendo vel scribendo

1) Comparat illos Socrates cum iis, qui sciunt τὰ πρὸ ἰατρικῆς ἀλλ' οὐ τὰ ἰατρικά, τὰ πρὸ τραγωδίας, ἀλλ' οὐ τὰ τραγικά, τὰ πρὸ ἀρμονίας, ἀλλ' οὐ τὰ ἀρμονικά. Phaedr. p. 268.

2) Vdd. Diogen. Laert. 8. 57, Sextus Empir. p. 370, Quinctil. Institut. Orat. 3. 1.

3) Phaedr. p. 272 D, E, 273 A.

4) Phaedr. p. 267 A.

5) Cf. H. Blair in opere *Lessen over de welsprekendheid*, tom. II, Cap. de historia eloquentiae, J. H. van der Palm in oratione *Over de welsprekendheid van Cicero*.

vel alios docendo artem dicendi promove-
runt et excoluerunt.

Attamen fieri haud aliter poterat, quin ars
illa ita comparata, ut sophistarum e manibus
exstitit, magnum afferret verae eloquentiae
detrimentum. Theodorus Byzantinus prae-
cipue se applicuit ad *πίστωσιν* et *ἐπιπίστωσιν*,
ad *ἐλέγχον* et *ἐπέξελέγχον*, parum curans, num
argumenta niterentur vero et honesto. Parius
Evenus animum attendit ad *ἐποδηλώσιν*, ad
παρεπαίνους et *παραψόγους*. Polus curavit *διπλα-
σιολογίαν καὶ γνωμολογίαν καὶ εἰκονολογίαν, ὀνομάτων τε
Λικυμνίων, ἃ ἐκείνῳ ἐδώρησατο, προσεποίησεν εὐπειρίας*.
Simili fere modo rhetoricam tractarunt Prota-
goras, Prodicus, Hippias, ceteri 1).

Quid, quaeso, istiusmodi quisquiliac con-
ferre poterant ad veram rhetoricam? Imo
potius eo valere debuerunt ut ipsam pessum-
darent. Artifices isti speciem tantum et
lineamenta artis attigerunt, ipsam naturam
et vim non perspexerunt. Sed vero, quod
gravius est, pro veritate sequentes *τὸ πιθανόν*,
artem tradiderunt, quae graviter nocuit verae
eloquentiae paullatimque effecta est mater
τοῦ ψευδοῦς, et suffocavit simul amorem sen-

1) Phaedr. p. 266 E, 267; de omnibus haece accurate egit
L. Spengel in libro: *Συνάγωγὴ τεχνῶν*.

sumque pulchri et boni, quia regulae, quas tradebant, non tanquam fundamento superstructae erant veritati. Ita magnopere et moribus nocuit et iudicium depravavit.

Summo igitur jure statuere licet maxima in rhetoricam merita fuisse Platonis, ex magistri sui mente de arte praecipientis. Indicavit enim principia, quibus ea niti debeat, atque ostendit qualis non esse debeat rhetorica, oppugnando sophistarum praecepta.

Hujus auditor Aristoteles hac etiam in parte quae magister inchoavit persecutus est. Admirabili tam doctrinae copia quam ingenii acumine praeditus, quo methodicae artis princeps habendus est, id omnino aggredi potuit, ut rhetorices systema componeret. In libris ipsius de arte rhetorica ingenii ejus et eruditionis effigies velut expressa cernitur; nec tamen, quod seculorum demum decursu effici potuit, rhetoricam omnibus numeris absolutam et perfectam Aristoteli scribere licuit. Rhetoricis praeceptis inseruit logica et dialectica, quae quidem disciplinae, aequae ac e. g. mathesis et grammatica, singulae suis continentur finibus. Jam vero quemadmodum logica et dialectica non efficiunt partem mathematicos vel grammaticos, ita etiam non efficiunt partem rhetorices. Attamen constat, neminem,

nisi probe imbutus sit logicis et dialecticis, accedere oportere ad rhetoricam: nam recte et ordine cogitare, sapere, hoc in omni scientia et arte primas tenet. Quare, licet Aristoteles peccarit logica et dialectica inserendo rhetoricis, id tamen documento est, eum, aequè ac Platonem et Socratem, ab arguta ista et fallaci sophistarum rhetorica prorsus alienum fuisse. Ceterum, quae ille in Rhetoricis disserit ac praecipit, num plane respondeant artis hujus notioni, atque num ea, quae apud illum reperimus, omni ex parte approbasset Socrates, id quidem inquirere a nostro proposito alienum est; sufficiat Aristotelicam methodum breviter attigisse.

Post Aristotelem plerique rhetores ex ejus fontibus hauserunt; mox tamen denuo resuscitatae sunt et magis magisque invaluerunt nugae istae sophisticæ, quae Aristotelicis praeceptis magnopere obfuerunt, imo suffocarunt ea ac paene in oblivionem adduxerunt. Huiusmodi fere fuit rhetorices conditio usque ad Ciceronis aetatem.

Cicero ad rostra accessit, imbutus praeceptis Academicorum et Peripateticorum; ipse dicit se non e rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis oratorem exstitisse. Itaque omni ope enisus est, ut dicendi facultatem cum ube-

riore artis cognitione conjungeret eandemque popularibus suis explicaret. Quod testantur ipsius scripta, quae de rhetorica arte composuit: libri de Inventione, de Oratore, Orator, Brutus, Topica, Partitiones oratoriae, de optimo genere oratorum. In opere de Oratore ut Socratici dialogi formam sequitur, ita in rebus etiam et sententiis Platonem refert. Sententia a Crasso enuntiata: dicere oportere memoriter, cum scientia rerum, justo ordine, cum elocutione elaborata et recta pronuntiatione: haec summam continet eorum, quae in his libris disputantur, atque de diversis his partibus ita agit, ut summa diligentia tam maxima quam minima persequatur. In pulcherrimo hoc opere agnoscere nobis licet magnum oratorem, qui principiis veri, pulchri et boni quasi superstruit facultatem oratoriam 1). — In libro, qui inscribitur Orator, perfecti oratoris formam et speciem exprimit, ductam illam ex intima philosophia; quo fundamento posito, agit de tribus dicendi generibus, quae sunt grande, tenue, medium; respondeant haec genera oportet rebus quae tractantur, ut ita forma plane accommodata sit ad materiem. — Brutus continet historiam oratorum Graecorum et

1) Vid. ipsius iudicium de hocce opere ad Attic. 13. 19.

Latinorum, quâ clare diserteque indicatur, quali dicendi genere et forma usi, quibus virtutibus et vitiis insignes fuerint singuli, quos memorat, oratores. — Libros de Inventione juvenili aetate composuit 1); in Topicis, Trebatii in gratiam scriptis, Aristotelem imitatus est; sed haec ceteraque minoris pretii quam priora illa aestimanda sunt.

Tametsi Cicero in libris oratoriis praecipue animum attendit ad genus dicendi judiciale ac forense, scripsitque iis temporibus, quae a nostris longe remota sunt ac diversa, multa tamen apud eum leguntur, quae nobis, quod ad artem eloquentiae sive theoriam attinet, dicendi scribendique normae esse possunt. Nec tamen Cicero omni ex parte immunem sese reddere potuit a rhetoricorum argutiis et inanibus regulis, quibus praecipitur, quibus modis orator placeat, permoveat, abducat 2). Cujus generis sunt exempli gratia loci Orat. § 128—133, 138, 139. Sed quis Ciceroni has maculas vitio det, quae maximis, quibus rhetorica ejus nitent, virtutibus compensantur?

1) Vid. ipsius iudicium de hoc opere Orat. 1. cf. Quintil. 3. 6, 58.

2) Vid. J. H. van der Palm, in oratione supra citata.

Praeclara Ciceronis de eloquentia praecepta maxima pro parte tenebris obruta erant et in oblivionem adducta, quum Quinctilianus aggressus est conscribere Institutionem oratoriam, opus duodecim libris constans.

Nimirum e diversis imperii Romani regionibus rhetores Romam confluxerant, qui pro sana rhetorica nugae venditabant artificiose compositas, claro ostendentes exemplo, quam proclivis sit via a recto bonoque ad prava et inepta: cui plurimum contulit, quod una cum vera magnitudine et libertate vera eloquentia ad interitum vergebat. Quam tristis Quinctiliani aevo fuerit eloquentiae conditio, diserte docet Laharpe in opere *Lycée*, tom. 2, init. Hic vero longe aequalibus suis praecellens studio et diligentia palmarium opus de rhetorica composuit. In describenda institutione, quam oratori futuro commendat, ubivis apud eum elucent verae eloquentiae principia. Imbutus sit orator dialectica, quae ducit ad veritatem, quam in dicendo sequatur; eluceat in oratione bonum et honestum; denique tribus hisce (vero, pulchro bonoque) tota τέχνη ἠητορικὴ nitatur. Ex his tanquam fontibus omnia ejus praecepta derivantur, et gravissimis sententiis Quinctiliani libri abundant. Quod et ille nonnunquam pravis sui aevi

opinionibus pollutus videtur, dolendum magis quam mirandum aut culpandum est. Ut exempla afferam, loci qui leguntur lib. 2. cap. 1, lib. 2. cap. 18, § 6, non sincerum recti sensum referunt 1).

Tres illi viri, Aristoteles, Cicero et Quintilianus, quasi thesaurum nobis reliquerunt praeceptorum artis, quae omni tempore in honore erunt. Eorum systema rhetorices, Platonis a fonte derivatum, sicut sua cuique domus notum esse debet omnibus, qui rite instructi et parati ad dicendum accedere velint. Ceterum pulcherrimos locos ex eorum operibus oratoriis, adjectis nonnullis Dionysii Halicarnassensis, Longini, aliorumque animadversionibus, collegit I. Hildebrand in opere: *Aesthetica litteraria*, quod sane lectu utilissimum est.

Non est mihi propositum, in adumbranda historia rhetorices ulterius progredi. Commemorandis illis scriptoribus id tantum indicare volui, ex eorum methodo rhetoricae tractandae apparere, hanc disciplinam arcte conjunctam esse cum verae eloquentiae principiis.

1) Vid. quae in Quintiliano reprehendit Bernhardt in opere: *Grundriss der Römischen Litteratur*.

CAPUT II.

DE RATIONE, QUA HAEC DISCIPLINA TRACTATA
SIT A RECENTIORIBUS.



Jam si ad nostra attendimus tempora, quid causae est, quod rhetoricac fere locus negatur inter ceteras disciplinas, quae in scholis tractantur, certe in patria nostra? Causa rei patebit, si animadverterimus recentiori aevo rhetoricen denuo degenerasse in exercitacionem quandam et lusum, quo quis facultatem sibi compararet persuadendi et probandi quidquid vellet, sive bona, sive mala, sive ut in luce poneretur veritas, sive ut tenebris obfuscaretur. Nil mirum ergo, ubi hic haberetur rhetorices scopus, eam reprehensam esse a multis, tanquam *ματαιοτεχνίαν, κακοτεχνίαν*, talem denique artem, quae blanda specie maximum affert detrimentum humanitati. Ita

Kantius 1), et, ut citem auctorem minus illustrem, Felix Bodin 2), qui nuper quasi bellum indixit rhetoricae, quam dicit funestam libertati, justitiae, veritati; opus detestabile; pestem denique calamitosam, quae ut in barathrum detruderetur valde foret optandum 3).

Neque infitiandum, methodum, qua rhetorice plerumque in scholis tractari solebat, plurimum contulisse ut ipsa magis magisque in odium et contemptum adduceretur. Pueri ad satietatem implebantur tropis et figuris, quibus fere rhetorica institutio continebatur. Cognoscendis variis orationis ornamentis et luminibus, discendo quid essent *antonomasia* et *litotes*, *catachresis* et *hyperbole*, *ellipses* et *asyndeta*, *pleonasmus* et *polysyndeta*, *exergasia* et *anaphora*, cetera ejus generis, discentium scilicet ingenia obfuscabantur, quasi talibus in rebus sita esset vis eloquentiae. Quid mirum si, taedio affecti propter horrida ista vocabula, ludum relinquerent, parum perspectum habentes, quam utilis esset vera rhetorica.

Etsi enim tropis istis et figuris suus in arte

1) In opere: *Kritik der Urtheilskraft*, p. 216 ed 2.

2) In opusculo: *Diatrise contre l'art oratoire*.

3) „Wer die Tropen und Figuren erfand. erfand Masken für Diebe, Verräther, Mörder und Ehebrecher.“ Von Hippel, *Lebensläufe nach aufsteigender Linie*.

oratoria locus concedendus est, haec tamen non sunt praecipua vel summa. E Socratis mente ista ad ἑπιτροπήν non plus valent, quam ad artem medicam scire calefacere corpus et refrigare, adstringere alveum vel relaxare; ad artem tragicam scire de re parva longas componere orationes, de re magna breves; ad musicam denique scire acutum et gravem efficere sonum 1), ceteraque id genus.

Sed, quod probe tenendum, immerito abusus ejus disciplinae ipsi arti ejusque institutioni fraudi fuit. Sana et incorrupta rhetorica omni aevo se tuebitur. Quum Rossavius vehementi ardore inveheretur in artes et doctrinas 2), earum abusu in perversam hanc opinionem adductus est, quam sana ratio repudiat; invito illo, floruerunt artium studia et magis magisque auferent. Parum valuerunt Encyclopaedistae in Francia, quum deriderent religionis effata et cultum, nimirum simulacrum ejus corruptum pro sincera specie habentes. Nihil denique exstat pulchrum et utile, quod non ab hoc illove acriter reprehensum sit, sed eo plerumque effectum, ut res ipsa clariore luce effulserit.

1) Phaedr. p. 268.

2) In opere *Discours sur les arts et les sciences*.

CAPUT III.

DE USU RHETORICAE, NEC NON DE VERA EJUS METHODO.

Jam quale erit nostrum de rhetorices
praeceptis judicium? Num regiam viam et
veram methodum, quam nobis monstrat sana
rhetorica, relinquemus, quia permulti fuerunt,
qui arte illa abuterentur aut ad inanem
verborum pompam et ostentationem, aut, quod
pejus est, ad fraudem et deceptionem? Num
regulas ab ipsa praescriptas et superstructas
ἢ ἀληθείᾳ spernemus, quia complures fuerunt,
qui eam adhiberent ad nugas et fallacias?
Nequaquam; quamdiu in honore erit eloquentia,
necesse erit ut artis theoriam probe cognitam
habeamus 1); quamdiu eloquentia nobis erit
ψυχαγωγία τις (et quidni in perpetuum talis

1) „Ceteroquin enim fieri posset, ut, si non nequidquam,
certe nequaquam bene diccremus” (J. Scaliger, *de poetica*,
cap. 1).

futura est?), necesse erit habeamus *τέχνη* iis fundatam principiis, quorum ope magis magisque ad perfecti oratoris formam et speciem accedere nobis contingat.

Magnopere igitur dolendum est, disciplinam hanc nostris temporibus neglectam jacere. Quaeri autem possit, si restitueretur in locum honorificum quem antea tenere solebat, ubi ea tradenda sit, in gymnasiis an in academiis? Non est profecto, ut hac arte imbuantur puerorum animi, qui in primo quasi limine disciplinarum stantes nec clare perspicere nec probe comprehendere possunt veram rhetorices vim et indolem, quae tot et tantarum artium studiis nititur. Quomodo autem exspectari possit, ut pueri, nondum operam dantes eloquentiae, ejus artis theoria delectentur? Quibusnam igitur rhetorica tractanda erit? Juvenibus? Non est hujus loci et meas superaret vires hanc quaestionem dirimere, quae sane non nullius erit momenti, si quando eveniet, ut rhetorica denuo efficiat partem liberalium studiorum.

Alia quaestio est: quas partes complectitur rhetorica? Inspiciamus opus notissimum G. J. Vossii, magni inprimis viri, etiam de hac disciplina optime meriti. Ejus praecepta continent fere omnia, quae rhetorice complecti

possit, eaque, ut erat versatus in omni antiquitate, luculentis veterum testimoniis et exemplis illustravit. Apud Vossium profecto »rerum pondus est signum ingenii ac doctrinae” 1). Operae pretium mihi facturum videor, si, quomodo ille rhetoricam tractaverit, breviter resumam et conspectum Vossiani operis hic proponam.

Praemittit tres sectiones, de fine, de definitione et de partibus rhetoricae, quam deinceps quadripartitam tractat.

De inventione.

LIB. I.

Quid sit inventio? de argumentis oratorii, de locis.	cap. 2.
De generibus causarum.	» 3 12.
Genus deliberativum.	
» demonstrativum.	
» juridiciale.	

LIB. II.

De affectibus,	» 1—13.
ira, lenitate, amore cet.	

1) Vid. ipsius Praef. ad lectorem.

De argumentis ἡθικαῖς, moribus oratoris, auditorum, civium.	cap. 14.
De locis communibus.	» 15.

De dispositione.

LIB. III.

Definitio dispositionis.	cap. 1.
De exordio.	» 2.
De narratione.	» 3.
De propositione.	» 4.
De contentione (confirmatione ac confutatione).	» 5.
De epilogo.	» 6.
De speciali inventione ac dispo- sitione.	» 7.

De elocutione.

LIB. IV.

Definitio ac distributio elocutionis.	cap. 1.
De compositione.	» 2.
De periodo.	» 3.
De numero.	» 4.
De tropis generatim.	» 5.
De tropis specialiter, metaphora, metonymia cet.	» 6—12.

De iis, quae falso inter tropos
reponuntur, cap. 13.
sarcasmo, diasyrmo cet.

LIB. V.

De schematibus generatim. cap. 1.
De schematibus verborum, » 2—5.
ellipsi, asyndeto cet.
De schematibus cogitationum, » 6—13.
auxesi, digressione cet.

LIB. VI.

De characterc generatim. cap. 1.
De diversis characteribus: » 2 7.
de stilo grandi, tenui ac
mediocri.

De pronuntiatione.

De pronuntiatione generatim. cap. 8.
De pronuntiatione specialiter, » 9—11.
de voce, de motu corporis.

Epilogus.

Ad haec animadvertere pauca mihi liceat. In introitu desideratur omnino eloquentiae definitio, quae certe requiri videtur priusquam ad artis theoriam accedamus. Quare si quis denuo ad hoc opus retractandum se accingeret, laudandus esset, si in prolegomenis claram poneret explicationem eloquentiae ipsiusque principiorum.

Magnam afferret quoque utilitatem, si rhetoricam praegrederetur brevis et perspicua artis oratoriae historia, unde perspicui posset, quid aetates sibi insequentes ad hanc artem excolendam contulerint. Cetera, inventio, dispositio, elocutio, pronuntiatio, cum diversis earum partibus, tractanda sunt ad eam normam quam Vossius monstravit.

In tractando loco de inventione maximi erit momenti considerare, quid etiamnunc valeant et quem usum habeant Topica. Num jure haec ut supervacua repudiabit nostra aetas, quae velut clara voce omnes hortatur, ut suo quisque ingenio, suis viribus in indagando utatur? An haec pars, quae continet sedem argumentorum, locum suum etiam in posterum tuebitur? In transitu animadvertatur, quum rhetoricen iisdem atque eloquentiam principiis niti necesse sit, manifesto id apparere in loco de inventione, ubi praecipi-

tur, quomodo orator docendo, placendo, movendo auditores flectat. Tria enim haec respondent tribus facultatibus animi humani: facultati intelligendi, cui convenit τὸ docere; facultati sentiendi, cui convenit τὸ placere; facultati appetendi, cui convenit τὸ movere; tum etiam tribus, quae cum his congruunt, eloquentiae principiis, vero, pulchro, bono.

Dispositio, pars rhetorices magna et difficilis, digna est sane, quae majore cura et labore tractetur quam ad hodierna quidem tempora tractata est; quippe quae, quum primum teneat in rhetorica locum (ut jure me statuere existimo), minimum inter quatuor illas partes obtinet spatium. 1). Hic imprimis λόγος λόγον adjuvet, ratio auxilietur orationi: nam hac in parte maxime cernitur vis logices et dialectices, quibus dispositio omnis nititur.

Quantopere oratio structa, elegans, polita valeat ad commendandum oratorem, illustri exemplo comprobatur illa gens, cujus scriptores apud omnes Europae populos maximis legentium studiis teruntur, Francos dico. Elegans et lucida dictio, quae ab omnibus statim intelli-

1) Praecipue in Homiletica.

gatur, qua facultate scriptores Francici maxime excellunt, eorum scriptis gratiam conciliat et famam affert auctoribus, quanta haud facile gloriari possunt libri ulla alia lingua scripti, etiamsi argumento et rebus non minus se commendent. Apparet inde, quod sane inter omnes constat, saltem constare debet, omnium maxime ab oratore esse colendum stilum quem appellamus. Quo majore autem studio rem aliquam colimus, eo magis cupimus penitus eam cognoscere; amor, quo eam expetimus et amplectimur, haud sinit nos desistere ab investigando, priusquam in intimam ipsius rei naturam penetrare nobis contigerit. Itaque orator eloquentiae amore ardens, cui perspectum erit, quantum color et forma orationis valeant ut propositum assequatur, arcana stili penitus inquiret. Hinc nascitur oratoriae artis, ut ita dicam, anatomia, quae in stilo rimando versatur, figuras, tropos, schemata, omnia denique quae commendare orationem possint, diligenter explorat. Harum rerum cognitio pueris quidem intempestiva, juvenibus, qui oratores evadere studeant, multis nominibus commendanda est.

Postremo, ubi agitur de pronuntiatione, facultas memoriter dicendi, de cujus utilitate

nostris etiam diebus in contrarias partes disputatur, tum etiam *ἐπιχειρήσεις*, sive vocis, vultus, gestus moderatio, fertilem sane et perutilem disserendi materiem praebent.

Sed omnia veluti luce sua penetret amor veri, pulchri et boni, quibus principiis eloquentia et rhetorica tanquam communi vinculo junguntur, Sic demum orator eo quo tendit pervenire potest, ut salutem consulat societatis humanae. Sic eloquentia pro sua etiam parte eo conferet, ut veri honestique cultu genus humanum ad altiora evehatur summique, quod mortalibus expetendum sit, boni participes reddatur.



THESES.

I.

Phaedrum dialogum eo maxime proposito conscripsisse videtur Plato, ut vanam atque inutilem esse ostenderet rhetoricam, nisi quae cum sapientia esset conjuncta. — *Gorgia* autem scribendo id maxime spectavit, ut imaginem proponeret adolescentis perversa rhetorum institutione corrupti.

II.

Phaedri dialogi argumentum apte cohaerebit, si Lysiae orationem exemplum eloquentiae incertae et confusae, Socratis vero utramque orationem sanae eloquentiae specimen praebere arbitrabimur.

III.

Ciceronis *de Oratore* libri referunt et plenius explicant eam rhetoricam, cujus fundamenta in *Phaedro* praeclare posuit Plato.

IV.

In Ciceronis libris *de Oratore*, si ipsius auctoris de perfecto oratore sententiam intelligere velimus, ea praecipue spectanda sunt quae e persona Crassi disputantur.

V.

Summo jure Cicero sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitati censuit, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. (*De Inventione*, I. 1.)

VI.

Vere Quinctilianus: »Oratorem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus.» (*Instit. Orat.* in prooemio lib. I.)

VII.

»In (dicendi) exercitationibus, etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius est, sumto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicere." Cicero, *de Oratore*, I. 33.

VIII.

»Est haec naturae ingeniorumque lex, ut nemo quisquam ulla in arte doctrinae excellere possit, nisi cui tria haec adsint: indoles, studium, via." (Wyttenbachius, in *Vita Ruhenkenii*, pag. 7.)

IX.

Mirabile illud artificium, quo homines per viginti fere signa omnes suas notiones secum communicant, facile hinc explicatur, quod scriptura *sonos*, non *cogitationes* exprimit.

X.

Puerorum institutio id maxime spectare debet, ut omnes animi ingeniique facultates aequabiliter eliciantur, fingantur et excolantur.

XI.

Homerum non litteris mandasse carmina variis ex indicis effici potest.

XII.

Facio cum Pearsono, qui in Sophoclis *Ajace*, vs. 140, pro: *πηρῆς ὡς ὄμμα πελειᾶς* legendum statuit *φήνης ὡς ὄμμα πελειᾶς*.

XIII.

Locus Platonis in *Phaedone* p. 69 A: *μη γὰρ οὐχ αὐτῆ ἢ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγὴ, ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας πρὸς λύπας καὶ φόβον πρὸς φόβον καταλλάττεσθαι, καὶ μείζω πρὸς ἐλάττω, ὥσπερ νομίσματα*, mutata interpunctione sic legendus est: *μη γὰρ οὐχ αὐτῆ ἢ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν, ἀλλαγὴ, ἡδονὰς κτε.* »Non haec est vera ad virtutem (via), commutatio, (nempe) voluptates voluptatibus et dolores doloribus et metum metu commutare, atque majora minoribus, sicut nummos” cet.

XIV.

In Ciceronis *Tusc. Quaest. I. 30*, pro *humanis vitiis* Bentlejus male *immanibus vitiis* posuit.

XV.

In Ciceronis loco, *Orat.* 3: »Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cūjus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea quae sub oculos ipsa non cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus:» a sensu aberrant interpretes, qui, omisso *non*, legunt: »quae sub oculos ipsa cadunt.»

XVI

Ante Augustum fuisse censum Senatorum effici nequit e Suetonio in *vita Augusti*, cap. 41, dicente, Augustum censum senatorum ampliasset.

XVII.

Edictum Diocletiani de pretiis rerum venalium non potuit non civitati vehementer nocere.

XVIII.

Caesar non videtur particeps fuisse alterius conjurationis Catilinae.

XIX.

Imperium Palmyrenum, quod mercatura ad summum prosperitatis fastigium pervenerat, quum, Zenobia regnante, omnem Asiam sibi subicere conaretur, eo ipso corrui.

XX.

Etymologiae, quae exstant, neminis *Palmyra*, non sufficiunt ad hujus vocabuli originem explicandam.

CORRIGENDA.

Pag.	2	in annot. 2: de Rep. X, 10 p. 611	leg. de Rep. p. 611.
„	6	„ „ : Quinctil. Instit.	„ Quinctil. Instit. Orat.
„	8	linea 8 comma deleatur.	
„	24	in annot., linea 6: difficile	„ difficile.
„	35	linea 4: sanc	„ sane.
„	36	in annot.: Instit.	„ Instit. Orat.
„	38	linea 8: appetat	„ appetit.
„	39	„ 16: ei	„ „ei.
„	45	„ 1: rebus que	„ rebusque.
„	45	„ 19: apud	„ „apud.
„	47	„ 1: puri	„ pari.
„	47	„ 3: profana. Qui	„ profana; qui
„	53	in annot. 1: Massitlon	„ Massillon.
„	53	„ „ 5: Ego	„ „Ego.
„	60	linea 6: nltimo	„ ultimo.
„	63	„ 11: παρεπαίνους	„ παρεπαίνους.